35-3-C-15,13

DECRETA

GENERALIA

Ab Ill.mo et R.mo Domino D. Carolo
S. R. E. presb. Card. tit. S. Praxedis
Archiepiſcopo Mediolani,
Ciuitatis, et Diœceſis Brixienſis
VISITATORE APOSTOLICO
promulgata, atque edita
ANNO A CHRISTO NATO.
M D LXXXII.

Gregorio XIII. Pontif. Maximo.



VITTORIO EMANUELE ROMA

MEDIOLANI.

Ex officina Michaelis Tini.

35 - 5 - E - 45

ECCLESIA Brixienſis ex prouincialibus Concilijs Mediolanenſibus, præter ſynodales Epiſcopi Bollani Conſtitutiones, iam ea decreta habet, quibus, Deo adiuuante, Cleri, populiq. ſui diſciplina conformari ſatis poteſt; ita ut, nunc non tam nouas conſtitutiones addi, quam conſuli, et prouideri, ut, quæ iam editæ ſunt, uere præſtentur, opus eſſe uideatur. Quamobrem Illuſtriſſimus, et Reuerendiſſimus Dominus D. Carolus S. R. E. presb. Card. tit. S. Praxedis, Archiepiſcopus Mediolani, Ciuitatis, et Diœceſis Brixienſis Viſitator Apoſtolicus in huius Viſitationis Decretis hoc potiſſimum faciendum putauit; ut, quæcumque iam ſancita ſunt generatim, et quædam eorum tantum capita, aut maioris momenti, aut in quibus crebrius delinqui compertum eſt, ſigillatim renouaret, pauca uero adderet, quæ ad rerum iam præſcriptarum uel clariorem explicationem, uel meliorem executionem præſtandam pertinerent.

In primis igitur admonet Illuſtriſſimus, et Reuerendiſſ. D. Viſitator, in Dominoq. obteſtatur Reuerendiſſimum Epiſcopum, tum Cathedralis Eccleſiæ, et aliarum Eccleſiarum Capitula, et dignitates in eis obtinentes, Canonicos item, et Manſionarios, Parochos, et Rectores quoſcumque, ac reliquum denique Clerum, tum Magiſtratus ſingulos; cunctumq. populum huius Ciuitatis, et Diœceſis; atque ijs omnibus; et ſingulis, auctoritate huius Viſitationis a ſanctiſſimo D. N. Greg. Papa XIII. delegata, præcipit; ut pro ſuo quique munere, tum ipſi exequantur diligenter, tum ij, quibus aliorum cura quouiſmodo commiſſa eſt, per

ipſos etiam ſedulo præſtari curent omni ſolicitudine, quæcumq. et ſacro Tridentino Concilio, et prouincialibus Mediolanenſibus Synodis, et Inſtructionibus de fabrica, et ſupellectile eccleſiaſtica ſancita ſunt; adhæc, quæ tum de Concionatoribus, tum de ſacramenti Pænitẽtiæ, ſanctiſſimæq. Euchariſtiæ adminiſtratione, tum de alijs ad extremum huiuſmodi omnibus tradita, atq. edita ſunt. Quibus in rebus neglectum, uel certe prætermiſſum ſuperioribus annis a multis officium cumulatiore diligentia ſuppleri requirit. Si qui uero non paruerint, eos, Apoſtolica etiam huius Viſitationis auctoritate, pænas decretis, ſanctionibus, conſtitutionibuſq. iiſdem ſtatutas ſubire decernit.

Reuerendiſſimi igitur Epiſcopi præcipuum ſit pænis, et mulctis non modo conſtitutis, ſed alijs etiam arbitrio ſuo conſtituendis, quoſcumque ad exactam eorum omnium, quæ ſupra enumerata ſunt, executionem compellere. Ipſe uero, ſi quidquam prætermiſerit, ſciat ſibi poſtea tum in Viſitatione uel per Metropolitanum, uel per alium Apoſtolica item auctoritate obeunda, tum in prouincialibus Concilijs reddendam eſſe rationem.

Idem Illuſtriſſimus, et Reuerendiſſimus D. Viſitator ſtatuit etiam Decreta diæceſanæ Synodi Epiſcopi Bollani, exceptis, ſi quæ, uel a Tridentinis ſanctionibus, ſummorumue Pontificum Conſtitutionibus, uel a Prouincialibus, uel ab his Decretis diſſentiunt; et, ſi quæ Reuerendiſſimus Epiſcopus eiuſq. pro temporum uiciſſitudine ſucceſſores in poſterum pro ſua Epiſcopali auctoritate immutanda cẽſuerint, ab omnibus, et ſingulis ſeruari, ad idque pænis, et cenſuris per Epiſcopum arbitrio ſuo irrogandis compelli debere.

Hæc

Hæc uero tum Conciliorum prouincialium capita, ut infra ſigillatim, et ſummatim enumerata, et aucta, explicataque; tum reliqua uniuerſæ huius Apoſtolicæ Viſitationis, et generalia, et particularia Decreta Illuſtriſſimus, et Reuerendiſſimus D. Viſitator præcipuo ſtudio præſtari decernit, propoſitis pœnis, et cenſuris ſuo loco poſitis, ac præterea ſupra præſcriptis: ſtatuitq. ut Reuerendiſſimus Epiſcopus omnis huius executionis rationem reddat, et Superioris eccleſiaſtici iudicium ſubeat, ut ſupra.

DE EPISCOPALIBVS QVIBVSDAM muneribus pro uniuerſæ huius Eccleſiæ adminiſtratione.

DE Epiſcopi uigilantia in tuenda fide, et omni hæreſi, hæreſiue ſuſpicione a ſua Diæceſi repellenda: ac præterea de denunciandis eo nomine ſuſpectis, et cauendo hæreticorum commercio.

De uigilanti obſeruatione periculi, præſertim a locis finitimis, et ab hominibus hæreſi infectis, aut ſuſpectis, qui inde in hanc Diæceſim ſe inſinuant, et ſingulis, qui ad ea loca proficiſcuntur, imminentis; maxime uero, ſi diutius ibi commorentur.

Quo in officio tum exacte ſeruetur Litteræ ſanctiſſimi D. N. Greg. eo de genere ſcriptæ; tum ſigillatim Reuerendiſſimus Epiſcopus his locis inuigilet, in quos olim labes hæc peſtilentiſſima irrepſerat: uideatq. diligenter, ne, qui ob defectionem a fide catholica ab hac Diæceſi exſulant, occulte ad ſuos agnatos, conſanguineoſue aduenient; aut aliorum fraude,

fraude, aut alia quacumq. ratione, quidquam ſubſidij hinc, etiam ex bonis, quæ ipſi olim poßidebant, clam percipiant: caueatqꝫ, quantum poteſt, ne ſaltem pueri, adoleſcenteſue, ijqꝫ maxime, qui parentes, agnatoſue habent hæreticos, ad ea loca accedant: aut aliud cum illis commercium habeant.

De fidei profeßione facienda ab ijs, qui litteras, et quaſcumqꝫ liberales artes publice, et priuatim docent; a Concionatoribus etiam, et Confeſſarijs omnibus, licet regularibus, atqꝫ ab omnibus item Regularibus, qui legẽdi, interpretandi, docendiq. munus ſuſcepturi ſunt; præterea a Medicis, Chirurgis, Aduocatis, et Procuratoribus in cauſis ſanctæ Inquiſitionis, antequàm officium ſuum aggrediantur.

De regulis Tridentini Indicis à bibliopolis, impreſſoribus, ac hæredibus defunctorum, qui libros reliquerunt, et ab alijs quibuſcumq. obſeruandis: præſertim uero de recognoſcendis libris, qui importantur, uel uenduntur: de uiſitandis bibliothecis: de Indice ab Ordinario, et Inquiſitore ſubſcribendo: de librorum nuper impreſſorum exemplo in Archiuio Epiſcopali aſſeruando; ac de uſu certorum librorum, qui obſcena contineant, aut bonis moribus repugnent, aut ad impietatem inducant, interdicendo.

De ſuperſtitionibus, ac blaſphemia, præſertim certis Diæceſis locis, in quibus frequentius graſſari compertum eſt; eradicandis; et de Societate nominis Ieſu ad id conſtituenda.

De ſolicitudine Epiſcopali in reliqua gregis ſui ſpeculatione; et miſerabilium etiam perſonarum agnitione.

De uerbi Dei pabulo tum in Ciuitate, tum in Diæceſi per ipſum Epiſcopum perſæpe miniſtrando. qua in re meminerit Reuerendiß. Epiſcopus, ex teſtimonio ſacri Concilij Trid.

etiam

etiam repetito, prædicationem uerbi Dei munus ſuum eſſe præcipuum. Quamobrem eo in opere iam laxet rete, et gregem ſuum uerbo Dei, et ſalutaribus documentis paſcendi miniſterium aggrediatur: tum prætereà alios etiam ad oppida, et pagos Diæceſis, eosq. præſertim, in quibus Quadrageſimæ tempore Concionator conduci non ſolet, deſtinare non negligat.

De pueris colligendis, et eorum diſciplina procurãda; deq. cura ſcholarium doctrinæ Chriſtianæ, et regulæ obſeruatione. De earundem item inſtitutione, uiſitatione, ac diligentia omni adhibenda, ut in montanis locis paſtores gregum in ea inſtruantur; reijciantur uero à Sacramẽtis ſuſcipiendis, qui neceſſariam huiuſmodi rudimentorum cognitionem contemnunt. Deniq. de impreßione etiam Chriſtianæ doctrinæ cum rudimentis Grammaticæ; ut hac etiam ratione pueri ad illius cognitionem promoueantur.

De Ludimagiſtrorum fide, et moribus ante probandis, ac eorum facultate ſaltem tertio quoq. anno confirmanda: deq. ſuper illos Epiſcopali ſpeculatione, et ſcholarum frequenti uiſitatione; ac demiq. executione Decretorum Lateranenſis Concilij ab illis præſtanda.

De conquiſitione dierum feſtorum, aliorumue onerum ex conſuetudine, uel uoto cuiusque loci Diæceſis; et eorum monimentis in Archiuio Epiſcopali, et Sacriſtijs uniuſcuiuſque loci collocandis.

De feſtorum item dierum ſancto, et religioſo cultu. De abſtinendo ab omni opere ſeruili, à nundinis etiam, et emporijs, alijsq. rebus eo tempore uetitis, ac ſententijs item ferendis. De moderatione etiam adhibenda in neceſſarijs ci=

barijs emendis, uendendiſue. qua in re aromatarios maxi=
me, ſutores, calcearios, tonſoresq. peccare compertum eſt.
De ablegandis ſpectaculis, choreis, ſaltationibus, circula=
toribus, ludis, et comeſſationibus, idq. genus alijs ab huiuſ=
modi dierum ſanctitate alienis: contra uero, ut ſuſcipiantur
pia officia eo tempore digna; ineaturque potiſsimum ratio,
qua ij, qui in montuoſis locis, greges paſcunt, Miſſam au=
diant, ijſq. in locis orent aliquando; nec uero patres fami=
lias ſuos ab eius generis officijs impediant.

De promulgatione, et executione Decreti Quadrageſimæ.

De Epiſcopi frequentia in choro.

De diligentia Epiſcopali in adminiſtratione Sacramenti Con
firmationis quotannis in Ciuitate in ſolennijs Pentecoſtes
habenda; tum de circumluſtranda Diœceſis rationeque in
ea adminiſtratione adhibenda.

De ſacra ordinatione in primaria Eccleſia, præſente clero,
habenda: deq. ſolenni Miſſa, et ritibus ad præſcriptum
Conciliorum ſeruandis; in primis uero de ſupplicationibus,
publicationibuſq. ante faciendis, et teſtimonijs afferendis:
de adſcriptione, et functionum exercitatione: de ſermone
ad ordinandos pridie, atq. ipſius ordinationis die, haben=
do. De non remittendis temporum interuallis inter ordi=
nes maiores, minoreſue ſine cauſſa, eaque litteris ordinum
ipſorum explicanda.

De alia item omni diligentia in examinibus, ſacraq. tum ſe=
cularis, tum regularis cleri ordinatione; et promouendis,
ab Examinatoribus, et ab ipſo etiam Epiſcopo adhibenda.

De ratione ſeruãda in inſtituendis, conferendis, prouidendiſq.
beneficijs, tum ad cauendã pluralitatem beneficiorum, etiã
ſimpli=

ſimplicium; tum ad ſeruãdas exacte leges, condicionesq; in beneficiorum fundatione præſcriptas. De diligenti præterea examine huiuſmodi adhibendo, cui Reuerendiſs. Epiſcopus quam frequentiſsimus ipſe præſit; præſertim, cum de parochialis Eccleſiæ prouiſione agitur. De iuramento exigendo ab ijs, quibus ab Epiſcopo de parochiali Eccleſia prouidetur. De edicto itẽ proponendo in prouiſione prebendæ Theologalis, et Pænitentiariæ. Efficiat autem Epiſcopus omnino, ut Vicarij perpetui conſtituto tempore litteras nouæ prouiſionis ad præſcriptum litterarum Pij V. expediant. In eos uero, qui principalem dignitatem in Eccleſia collegiata, etiã Diœceſana, ſine litteris Apoſtolicis obtinent, etiam ſi unica dignitas illa in ea Eccleſia ſit, niſi intra ſex menſes à ſancta Sede Apoſtolica congruum remedium impetrarint, ad reſtitutionem fructuum, et priuationem beneficiorum iuxta præſcriptum litterarum Apoſtolicarum agat. Idem agat in Canonicos Cathedralis, et alios, quicunq. ſine litteris Apoſtolicis poſsident beneficia, quæ menſibus reſeruatis, aut aliàs affecta erant, uacarunt.

Caueat item Reuerendiſs. Epiſcopus, ne beneficia ſimplicia uacantia ante conferat, quam opportune, non ſolum Seminario, ſed etiam Theologalibus, Magiſtralibuſue prebendis, etiam in Diœceſi, in collegiatis, et parochialibus Eccleſijs inſignibus conſtituendis, quarum prebendæ, redituſue adeo tenues ſunt, ut pro loci, et perſonarum ratione ad ſacerdotum ſuſtentationem non ſufficiant, aut, unione, aut alia ratione ad concilij Trid. præſcriptum prouiſum non ſit. Erigat uero quamprimum prebendam Theologalem ad concilij Trid. præſcriptum in omnibus Collegiatis inſignium

B oppi=

oppidorum ſuæ Diæceſis, præſertim Salodij, Vrceorum nouorum, Clarij, et Rouati.

De ſubrogandis ſacerdotibus in Eccleſijs olim Humiliatorum ex Conſtitutione Pij V. et de ſubſtituẽdis ſacerdotibus in canonicatibus, et beneficijs, quæ quis cum alijs incompatibilibus legitime poſſidet, aut a quibus alias legitime abeſt.

De cautionibus adhibendis in concedendis, prorogandiſuè facultatibus Miſſæ celebrandæ in certo altari, Eccleſiauè.

De piorum legatorum executione: in qua Reuerendiſs. Ordinarius meminerit, ſe piarum uoluntatum, etiam ex Trid. decreto legitimum executorem eſſe, atq. ideo propoſitis arbitrio ſuo pœnis, et cenſuris, etiam ipſo facto ſubeundis, omnes, qui piarum cauſſarum legata, relictaue exequi debẽt, ex canonum, et Conciliorum prouincialium præſcripto, etiam huius decreti auctoritate, ut iuris eſt, compellat.

De ratione iuuãdi ſtudia clericorum, tum rudiorum, tum prouectiorum; deq. eorum ſingulorum frequenti recognitione, et progreſsione in litteris, et in diſciplina.

De ſtatu cleri deſcribendo, et recognoſcendo; deq. libro eiuſdem in Cancellaria aſſeruando.

De ſpeculatione in clerum, et animaduerſione in eius otium.

De commendãdis ſingulis clericis certis ſacerdotibus probatis.

De conuocatione frequenti per annum, modo totius, modo partis cleri urbani, præſertim ad conciones, adhortationesq.

De conuocandis clericis inferioribus, et recognoſcendis frequenter per annum.

De conuocandis Canonicis urbanis quater in anno, frequẽtiſſime uero Capitulo Eccleſiæ Cathedralis tum pro ſpiritualibus, tum pro alijs etiam tractationibus.

De

De frequenti, et multiplici conuocatione Parochorum urbanorum, tum aliorum ſacerdotum confeſſariorum, Concionatorumq. præſertim ineunte Aduentu, et Quadrageſima. immo, cum illis etiam aliquãdo conuocentur Superiores regulares, et ſui officij admoneantur, præſertim in his, quæ ad populi ædificationem, et ſpiritale adiumentum ſpectant.

De Vicariorum etiam foraneorum conuocatione, quos conſtituat Reuerendiſs. Epiſcopus, quam maxime idoneos poteſt; illiſq. opportunas pro perſonarum, et locorum ratione facultates, eaſq. litteris exaratas, deleget; regulaſq. de eorum officio præſcribat, qui ſæpiſsime circumeant, omnem operam, ſtudiumq. ſuum executioni decretorum prouincialium, et diæceſanorum, atq. huius in primis Viſitationis nauãtes: diligẽtes, ac ſedulos foueat, iuuet, protegatq. negligentes uero corripiat, corrigat, aut etiam ab officio amoueat, prout expedire magis cenſuerit; alioſq. conſtituat arbitratu ſuo.

In ualle autem Camonica maxime curet omni ratione Vicarium foraneum eum ſemper habere, cui facultatem etiam ius dicendi in cauſsis ciuilibus intra certam, eamq. modicam ſummam ab ipſo Ordinario præſcribendam, ac etiam conficiendi proceſſus pro Curiæ Epiſcopalis informatione committere poſsit. quem quidem Vicarium, ſi alterius opera, ſtudioue indigere exiſtimarit, laicum hominem, eumq. iuris conſultum uita, et pietate probatum, qui aſſeſſoris officio fungatur, Epiſcopus aliquando adiungere poterit.

De promulgatione Decretorum prouincialium, et Synodo diæceſana quotannis habenda, et diligenti ad eam præparatione, ac certa eius die in perpetuum ſtatuenda; rationeq; in ea ſeruanda; ac Teſtibus præterea ſynodalibus adhibendis,

dis. quo in genere illud ſigillatim decernitur; ut inter alia, quæ teſtes ſynodales, uel ad Epiſcopum in Synodo Diœceſana, uel ad Archiepiſcopum in Prouinciali deferre debebunt, cura illis ſit in primis inueſtigandi executionem Decretorum Viſitationis Apoſtolicæ, deferendiq. quicquid in ea neglectum, uel prætermiſſum ſit.

De uiſitatione item ab Epiſcopo tum per ſe, tum per alios obeunda. quo in officio exacte præſcriptas regulas ſeruet; ac præſertim de non adhibendis socijs in Viſitatione non neceſſarijs, nec uero pluribus ad ſummum ſeptem iumentis, et undecim hominibus, adnumerato Epiſcopo, et Canonicis etiam, ſi quos aliquando ſecum duxerit, ijſq. quos præire iuſſerit ad Conciliorum Prouincialium præſcriptum: de uictu, et menſæ moderatione: de laicorum hominum hoſpitio cauendo: de decretis gratis tum Rectori, tum etiam populo edendis; atq. de inſtructionibus in Viſitatione ſeruandis.

Viſitet autem quotannis Hoſpitalia, Confraternitates, Montes pietatis, et alia quæcunq. pia loca, et eorum calculos recognoſcat ad Concilij Tridentini præſcriptum.

De licentia ſcriptis danda de his omnibus, in quibus ex prouincialibus Decretis exigitur; ut puta, de laicali cohabitatione; de feminarum etiam non ſuſpectarum ſeruitio domeſtico; de munere concionandi, uel confeſſiones excipiendi; de abſentia a ſua reſidentia; de munere Miſſæ celebrandæ, uel ſuſcipiendo, uel mutando; ac de ſingulis eius generis omnibus.

De non admittẽdis aduenis, et peregrinis clericis, præſertim ad Miſſæ celebrationẽ, ſine dimiſſorijs ſui Ordinarij litteris.

83

De facultate ingrediendi ſepta Monaſterij pro cauſſis tan= tum permiſſis ab Epiſcopo.

De facultate remittendi denunciationes Matrimonij ab Epi= ſcopo, illaq. eo abſente, a Vicario Generali tantum conce= denda.

De Matrimonij denunciationibus non remittendis auctori= tate Concilij Tridentini, niſi ex cauſſa eodem Concilio probata.

De litteris monitorijs excommunicationis propter reuelatio= nem concedendis.

De litteris dimiſſorijs, teſtimonialibuſuè concedendis.

DE FORO EPISCOPALI, Eccleſiaſticoue.

QVæcunque prouincialibus Concilijs decreta ſunt ad fo= rum Epiſcopale, eiuſq. Cancellariam, ac miniſtros quouis modo pertinere, præſtet Reuerendiſsimus Ordina= rius, efficiatq. omni ratione, et huiuſce Viſitationis Apo= ſtolicæ auctoritate; ut ab ijs omnibus, et ſingulis, quo= rum intereſt, plene ſeruentur; hæcq: potiſsimum;

De promulgatione Conſtitutionis Pij II. de male promo= tis, et aliarum conſtitutionum, et litterarum Apoſto= licarum, quæ iam editæ ſunt, aut in dies edentur, ijſq. in Archiuio diligenter ſeruandis, inter quas Conſtitutio Pij V. contra offendentes ſtatum officij ſanctæ Inqui= ſitionis inter menſem promulgetur.

De piarum cauſſarum, et miſerabilium perſonarum aduoca= tis, et procuratoribus.

De Iu=

De Iudicum, et Vicariorum fori Epiſcopalis condicionibus.

De moribus, et condicionibus Procuratorum, Notariorum, Aduocatorum, et aliorum miniſtrorum fori.

De examine, et probatione Notariorum.

De iureiurando tum a Vicarijs, Cauſidicis, et Aduocatis, tum etiam a Cancellario, et Notarijs præſtando; et de iuramento calumniæ quandocunq. exigendo.

De formula iudiciorum, cauſſarum, et expeditionum.

De cauſſarum ſummaria expeditione, atq. impenſis; et litibus reſecandis.

De iure gratis reddendo; deq. ſportulis, ullaue alia re omnino in cauſis ordinarijs non recipienda.

De pœnis, et mulctis locis pijs attribuendis, applicandisue, et in librum referendis, omniq; earum participatione miniſtris fori prohibita.

De Cancellaria non locanda, nec uendenda; deq. uetitis emolumentis ex Cancellaria nec Epiſcopo, nec menſæ Epiſcopali, aut eius Vicarijs, alijſuè attribuendis.

De muneribus, et donis, etiam eſculentis, uel minimis, Vicarijs, Cancellario, Notarijs, et ſcribis Cancellariæ, ac Secretario, et ſcribis, et familiaribus quibuſcunq. Epiſcopi prohibitis; deq. pecunia, etiam pro ſcripturarum recognitione Vicarijs interdicta.

De uetito eiſdem ſingulis Vicarijs, etiam foraneis, nec non et Procuratori, Aduocatoq. Fiſci, Auditori, et eorum famulis, patrocinio, defenſione, et procuratione negotiorum, et expeditionum, ac litterarum quarumcunq. et cauſſarum ad forum pertinentium.

De facultatibus, approbationibus, licentijs, conſenſibus, et

alijs

alijs expeditionibus gratis tum ab Epiſcopo, tum a Cancellario, eiuſq. miniſtris concedendis.

De mercede ſcripturarum data ſingulis diebus certo in libro deſcribenda.

De abſolutione relaxationum iuramenti ad agendi, uel ex=cipiendi effectum.

De ratione deſcribendi acta, atq. proceſſus.

De libro profeſſionis fidei in Archiuio habendo.

De libro titulorum, iurium, et onerum uniuſcuiuſq. altaris.

De alijs libris, et tabellis in Cancellaria habendis.

De Archiuio Epiſcopali, et diligenti actorum Cancellarij, et aliorum ſcriptorum cura.

De uiſitatione Tribunalis quotannis facienda.

De protectore carcerum Epiſcopalium, carcerumq. uiſita=tione, et carceratorum cura, tum ad animæ ſalutem, tum ad corporis ſuſtentationem.

Taxæ Cancellariæ Epiſcopalis Brixiæ a Reuerendiſſimo Epiſcopo Bollano editæ anno 1575. et ab Illuſtriſſimo, et Reuerendiſſimo D. D. Carolo Cardinale tit. Sanctæ Praxedis Archiepiſcopo Mediolani, ac Viſitatore Apoſtolico tum Metropolitana cura ex Conciliorum prouincialium decretis, tum etiam Apoſtolicæ Viſita=tionis auctoritate recognitæ, emendatæ, et comprobatæ, eiuſdemq. iuſſu infra deſcriptæ, ac editæ, inuiolabiliter ab omnibus, et ſingulis, quorum intereſt, obſeruentur, non obſtantibus quibuſcunq. ſtatutis, conſuetudinibus, decretis, et præſcriptionibus.

Conſtitutio, et ſanctio a præfato Illuſtriſſimo, et Reueren=diſſimo D. Cardinale Archiepiſcopo Mediolani con=

fecta,

ſecta, et per Apoſtolicas literas S. D. N. Gregorij Papæ XIII. infra deſcriptas confirmata, et renouata de Decretis, et Taxis per Iudices ſynodales, et Conſeruatores Regularium, exemptorumue quorumcunq. et per Ordinarios, etiam in cauſsis delegatis, et per eorum omnium, et ſingulorum Notarios exequendis ab uniuerſis, et eorum unoquoq. quorum intereſt, ſeruetur diligenter, inuiolateq.; ita tamen, ut, ſi quibus in rebus, cauſsis, negotijſuè aliquo ſtatuto, aut conſuetudine laudabili, nihil, uel minus, quàm ea taxa præſcribitur, per Iudices a Synodo deputatos, ac Regularium, exemptorumue quorumcunq. Conſeruatores exigi deberet; conſuetudo illa, ſtatutumue omnino retineatur, ſeruetúrq. ad eiuſdem conſtitutionis præſcriptum.

Quam conſtitutionem, ſeu taxam, Iudicibus ſynodalibus, et Conſeruatoribus, præſcriptam ſeruet etiam Ordinarius, niſi quibus in rebus conſuetudine, decretis, uel conſtitutionibus, taxiſue Epiſcopalibus, ut ſupra recognitis, et comprobatis, taxa minor ipſi ſeruanda propoſita eſſet; quàm omnino ſeruare teneatur.

Si Vicarius, Iudexue Ordinarius in cauſsis ordinarijs, uel delegatis, aut Conſeruator regularium, etiam exemptorum quorumcunque in ſuis cauſsis, aut Iudex in Synodo conſtitutus pro cauſsis commiſſarijs, eorumue Notarij, uel Cancellarius Epiſcopalis, aut alius Eccleſiaſtici fori miniſter, quicunque contra ſibi præſcriptas regulas, ordinationes, conſtitutiones, decreta, taxaſue, uel ex Concilijs prouincialibus, uel ex conſtitutione Epiſcopi Bollani, ut ſupra emendata, et comprobata, uel ex Conſtitu-

tione Metropolitana, litteris Apoſtolicis ſanctiſsimi D. N. Gregorij Papæ XIII. confirmata, atq. munita, uel ex Decretis huius Viſitationis quidquam commiſerit, deliqueritue; is, quicumq. ſit, ſi contra Decreta prouincialia, aut huius Viſitationis, aut taxas prædictas Epiſcopi Bollani comprobatas peccarit, pro culpæ ratione arbitrio Reuerendiſsimi Epiſcopi mulcta pecuniaria locis pijs applicanda, et priuatione officij, ac omnino reſtitutione tripli in eo, quod contra præſcriptum exegerit, puniatur, ac grauiore etiam pœna eiuſdem arbitratu.

Si uero contra ſanctionem Metropolitanam litteris Pontificijs confirmatam, et renouatam quidquam admiſerit, aut ſi ad unguem illam non ſeruauerit, is a Reuerendiſsimo Ordinario, et moneatur, et corripiatur; uel deferatur ad Reuerendiſsimum Auditorem Cameræ, alioſue, ut Iudices executores earundē litterarum Apoſtolicarum, ad earum præſcriptum; quarum ui, et robore in delinquentes agatur.

Si uero Epiſcopus quid hoc in genere contra, quā præſcriptum eſt, uel permiſerit, uel admiſerit, uel commiſerit, Metropolitani in Concilio prouinciali, aliāsue, aut in Viſitatione Archiepiſcopali, ſeu etiam Apoſtolica, eidem, ſeu alteri delegata iudicium ſubeat.

Liber Decretorum generalium impreſſus, in quo deſcriptæ exſtant etiam Taxæ Cancellariæ fori eccleſiaſtici loco ibidem patenti, conſpicuoq. catenulis ferreis perpetuô appenſus ſit, ut ab omnibus legi poſsit.

TAXAE
Cancellariæ Epiſcopalis Brixiæ
a Reuerendiſsimo Epiſcopo Bollano editæ,
et ab Illuſtriſsimo, et Reuerendiſs. D. D. Carolo
S. R. E. tit. Sanctæ Praxedis Cardinale
Archiepiſcopo Mediolani,
ac Ciuitatis, et Diœceſis Brixiæ Viſitatore Apoſtolico
recognitæ, emendatæ, et approbatæ.

IN CAVSSIS CIVILIBVS.

Pro receptione cuiuſlibet relationis, citationiſue oretenus factæ Cancellarius habeat ſol. unum. lib. ſol. 1. d.

Si relatio fuerit plurium pro eodem negotio citatorum, habeat pro primo ſol. 1. pro quolibet uero aliorum denar. ſex.

Pro ſubſcriptione cuiuſlibet præcepti, citationis, ſequeſtri, proteſtationis, uel ſimilium, habeat ſol. duos. lib. ſol. 2. d.

Si uero per Officium fiant exempla, tunc ſolidum unum habeat pro quolibet exemplo paginam non excedente. ſi uero paginam excesſerit, ſolidos duos ad rationem folij. lib. ſol. d.

Pro rogitu relationis, præſentationis prædictorum, præcepti, citationis, et aliorum in ſcriptis proxime dictorum, nihil præter mercedem prædictam accipiat.

Pro quolibet præcepto de adipiſcenda poſſeßione in materijs profanis habeat Cancellarius

cellarius pro ſubſcriptione ſol. 4. lib. ſol. 4 d.

Sed, ſi præter ſubſcriptionem, etiam præceptum ipſum ipſe ſcriberet, præter mercedem prædictam, habeat ſolidos duos ad rationem cuiuſlibet folij. lib. ſol. 2 d.

Pro præcepto ſponte ſuſcepto ad ſoluen. ad ſummam librarum quinquaginta uſque ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

A quinquaginta ad cẽtum uſq. ſol. octo. lib. ſol. 8 d.

Supra uero centum, quãtacumq. ſumma ſit. ſol. ſexdecim. lib. ſol. 16 d.

Pro electione habitationis in Ciuitate ſol. unum. lib. ſol. 1 d.

Pro conſtitutione, ſeu ſubſtitutione procuratoris apud acta, ſol. tres. lib. ſol. 3 d.

Si uero contigerit extendi, et ſeparatim approbata, et authentica forma exhiberi ſol. duodecim. lib. ſol. 12 d.

Pro rogitu cuiuſlibet fideiuſſionis in iudicio preſtitæ ex quauis cauſſa ſol. 4. lib. ſol. 4 d.

Pro inhibitione in ciuili, uel criminali cauſſa facta quibuſcumq. iudicibus, cuius exemplum unum penes officium ſit, aliud uero parti, uel Iudici tradatur, habeat ad ſummum Cancellarius ſol. decem. lib. ſol. 10 d.

Si uero plura, quam duo, exempla fient, habeat ſcriptor pro alijs exemplis ad rationem ſolidorum duorum pro folio.

Si autem ſubſcribi tãtùm contigerit, habeat
Cancellarius ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

Pro actu reuocationis, inhibitioniſq. ſol. 6. l. ſol. 6 d.

Pro receptione libelli petitionis, uel recon=
uentionis ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Idemque pro receptione exceptionum, con=
tradictionis, articulorum, et cuiuſlibet
alterius comparitionis, uel ſcripturæ in
actis dimiſſæ, quæ non habeat mercedẽ
certius determinatam.

Pro ſimplici receptione petitionum cum iu=
ramento ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Si uero contigerit cum iuramẽto eis de mo=
re reſponderi ad interrogationem Iudi=
cis, uel Cancellarij, habeat pro reſpon=
ſione ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Item pro publicatione ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Si uero iterum producentur loco articulo=
rum, habeat ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Pro declaratione Iudicis ſuper admiſſione,
uel reiectione petitionis, uel exceptio=
num, uel poſitionum, aut articulorum,
quæ non habeat uim diffinitiuæ, aut ſi=
milium, quæ fieret cum cauſſæ cognitio=
ne, uiſis iuribus, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro admiſſione uero abſq. cauſſæ cognitio=
ne, ut ſupra, ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Pro rogitu cuiuſlibet confeſſionis, oblatio=
nis, ſcripti, recognitionis, uel alterius hu=

iuſmodi

iuſmodi actus ſol.duos. lib. **ſol. 2 d.**

Pro qualibet accuſatione contumaciæ cum admiſsione, uel ſine, ſol. duos. lib. **ſol. 2 d.**

Pro delatione iuramenti ſol. duos. lib. **ſol. 2 d.**

Pro aſsignatione termini ad probandum, ſeu quolibet huiuſmodi actu ſol.unum. **ſol. 1 d.**

Pro receptione interrogatoriorum ſol.2.lib. **ſol. 2 d.**

Pro examine cuiuſlibet teſtis ex Officio pro habendis informationibus in materia diſpenſationum, ſi in euidentẽ, et ſimilibus actis extraiudicialibus, habeat Cãcellarius, præter mercedẽ ſcriptoris, ſol.4. l. **ſol. 4 d.**

Si dictæ informationes extra Officium committerentur, habeat pro litteris remiſſorijs ſol.tres. lib. **ſol. 3 d.**

Et pro quolibet teſte ſol.duos. lib. **ſol. 2 d.**

Pro quolibet autẽ teſte examinato in cauſſis, ſi, citata parte, et ſine interogatorijs, ſcriptura non excedat folia duo, habeat in totum Cancellarius a producente, præter ſcripturam, ſol.ſex. lib. **ſol. 6 d.**

Sed, ſi duo folia exceſſerit, habeat, ultra ſupraſcriptos, ſolidos ſex pro duobus primis folijs; pro alijs ſingulis, præter mercedem ſcripturæ coadiutori debitã, ſol.duos. lib. **ſol. 2 d.**

Si uero teſtes examinati fuerint cum interrogatorijs, Cancellarius habeat etiam a producente interrogatoria pro ſingulis teſtibus ſol.duos. lib. **ſol. 2 d.**

Pro

Pro examine uero ſuper articulis, et inter= rogatorijs, habeat a qualibet parte, ultra mercedem ſcriptoris, ſi examen non ex= ceſſerit duo folia ſol. quattuor. **lib.** **ſol. 4 d.**

Si uero exceſſerit, habeat ſolidum unum a ſingulis partibus ad rationem folij, ultra dictã taxam, et duo folia, ac ultra mer- cedem ſcriptoris.

Si uero contigerit teſtes examinari extra Officium, et in Ciuitate, ultra præmiſ= ſas mercedes, habeat Cancellarius am= plius, a producente tantum, pro quolibet teſte ſol. duos. **lib.** **ſol. 2 d.**

Et ſi in ſuburbijs intra milliaria duo, ha= beat tantummodo a dicto producente, et ultra dictas mercedes pro quolibet te- ſte ſol. quattuor. **lib.** **ſol. 4 d.**

Sed, ſi contigerit teſtes, ita utraque, uel alte ra parte requirente, examinari per Iu= dicem, uel ex certa aliqua ratione, ita Iudice terminante, per extraneum inter rogatorem ab ipſo Iudice electum, tunc habeat Cãcellarius ſolidos quattuor pro quolibet teſte, pro dimidia ab utraq. par te, ſi data fuerint interrogatoria; ſin minus omnino a producẽte; et hoc ultra mercedẽ ſcribentis; et præterea pro mer- cede prædicti extranei examinatoris ſoluat, qui illum petijt adhiberi, quan=

tum

tum D. Iudex taxauerit.

Sin autem contigerit Cancellarium, uel Notarium de mandato Iudicis ire extra Ciuitatē pro dicto examine teſtium ultra milliare, habeat ſcutatum unum prater impenſas equorum, et uictus: et hoc pro primo die; pro reliquis uero ſingulis diebus libras duas planetorum, ultra impenſas prædictas; et hoc; ad numerato examine; et ſcriptura.

Sed, ſi pro graui negotio, uel alia cauſſa contigerit Cancellarium euntem extra Ciuitatem pro examine, ut ſupra, ſecum etiam adducere ſcriptorem de mandato Iudicis; tunc coadiutor ipſe, ultra prædictas mercedes, habeat ſolidos uiginti pro quotoquoq. die, adnumerata mercede eius ſcripturæ, ultra impenſas equi, et uictus. quod ſi nuncium etiã publicum, ſiue officialem adducere opus fuerit de mandato Iudicis, ut ſupra; idem officialis habeat ſolidos decem planet. in ſingulos dies, ultra impenſas uictus.

Pro commiſſione examinis teſtium in ſcriptis facta, alijsq. Notarijs, uel ſcriptoribus Cancellariæ, tam in Ciuitate, quã extra, cum capitulis, et interrogatorijs incluſis, uel abſq. illis, habeat pro ipſis litteris ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro

Pro receptione litterarum reſponſiuarum, et atteſtationum incluſarum a Commiſſario examinis miſſarum, ſi extra Diœceſim fuerint examinati, habeat ſol. quattuor. **lib. ſol. 4 d.**

Si intra Diœceſim ſold. duos. **lib. ſol. 2 d.**

Et prӕterea habeat pro quolibet teſte ſol. duos. **lib. ſol. 2 d.**

Pro publicatione atteſtationum, et proceſſus, et pro qualibet alia termini alicuius ſeruatione ſol. duos. **lib. ſol. 2 d.**

PRO SENTENTIIS.

PRo qualibet interlocutoria, quӕ non habeat uim diffinitiuӕ, facta cum cauſſӕ cognitione, et uiſis iuribus, Officium habeat ſol. ſex. **lib. ſol. 6 d.**

Si ſine cauſſӕ cognitione, aut non uiſis iuribus, ſol. duos. **lib. ſol. 2 d.**

Si non habeat uim diffinitiuӕ, habeat dimidium infraſcriptӕ taxӕ ſententiӕ diffinitiuӕ.

Pro qualibet confirmatione ſequeſtri, uel prӕcepti in contumaciam partis, aut ſuper quibus non ſit formatus proceſſus, ſol. quinque. **lib. ſol. 5 d.**

Si uero in contradictorio Iudicio, aut ſuper proceſſu formato, ſeruetur taxa infra=

ſcriptarum

ſcriptarum ſententiarum.

Pro qualibet ſententia diffinitiua in cauſſa pecuniaria, uel aliter profana ad libras uigintiquinque uſq; & ultra mercedem exempli ſcriptoris ipſius ſententiæ, habeat ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Supra mille uero, quantacunq; ſit ſumma, ſol. quinq. lib. ſol. 5 d.

Pro qualibet ſententia diffinitiua in cauſſa matrimoniali, ſiue agatur de ipſo fœdere Matrimonij, ſiue de ſeparatione, ſiue ab eis quomodocunque dependentibus, ſol. tres. lib. ſol. 3 d.

Si partes fuerint indigentes, aut non formetur proceſſus, libram unam, et ſol. decem. lib. 1 ſol. 10 d.

Pro ſententia diffinitiua in cauſſa beneficiali, lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Pro qualibet ſententia diffinitiua in cauſſa uſuræ, adulterij, ſacrilegij, periurij, et quarumlibet aliarum ſpiritualium rerum, quarum non poteſt dari certa eſtimatio, ciuiliter intentatarum, lib. unam, et ſol. duodecim. lib. 1 ſol. 12 d.

Pro intimatione cuiuslibet ſententiæ, ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

Si uero tantummodo ſubſcribetur, ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Pro rogitu cuiuslibet appellationis per

uel reiectione, ſi tradatur publica forma ſol. duodecim. lib. ſol. 12 d.

Pro litteris executorijs ſententiæ abſque inſertione, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Si non cum inſertione ſententiarum, ſoluatur præterea coadiutori pro ſcriptura.

Pro litteris pignoratitijs pro ſingulis debitoribus ad numerum trium uſq. ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Si uero contineret plures debitores, ſol. unum pro quolibet, ultra primos tres.

Pro litteris generalibus omnino ſol. decē, li. ſol. 10 d.

Pro rogitu præſentationis pignorum ſol. tres. lib. ſol. 3 d.

Pro rogitu cuiuslibet incantus cum relatione citationis ad uidendum incātari, ſol. tres. lib. ſol. 3 d.

Pro delegatione cuiuslibet cauſſæ intra Ciuitatem Brixiæ facta, cuius nihilominus proceſſus, et ſententia rogetur per Officium in Cancellaria Epiſcopali; ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Si uero delegetur etiam ad decidendum, etiam extra Ciuitatem, uel eius proceſſus ex illa delegatione per alios Notarios formatus ſit, quā per Notarios officij, habeat Officium lib. unam. lib. 1 ſol. d.

Pro taxatione impenſarum per Notarium facienda, ſi formatus ſit proceſſus, et teſtes

ſtes in ea cauſſa fuerint examinati, ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

Et etiam plus, habita ratione laboris, arbi= trio D. Vicarij. ſed, ſi proceſſus plurium inſtantiarum, ut primæ, ſecundæ, tertiæ appellationis; tunc habeat officium pro quolibet proceſſu, ſeu inſtantia, taxam, ut ſupra, ſigillatim præſcriptam.

Et, ſi proceſſus non ſit formatus, ut ſupra, habeat ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

IN CRIMINALIBVS.

PRo receptione querelæ, ſeu denuntiæ, uel alterius petitionis criminalis, ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Pro extenſione querelæ, uel denuntiæ factæ in iudicio cum decreto, quod procedatur, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro receptione contradictionis tam quere= læ, quam denuntiæ, et inquiſitionis, ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Pro rogitu cuiuslibet fideiuſſionis in iudi= cio præſtitæ, ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

Pro examine teſtium ex officio abſq. in= terrogatorijs alicuius partis, ultra mer= cedem ſcriptoris, pro ſingulis teſtibus, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Si uero interrogati fuerint cum interroga=

toriјs partis, habeat Cancellarius a dã=
te interrogatoria, ultra mercedem, ſupra
dictam mercedem, ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Si fuerint examinati ad inſtantiam unius
partis abſq. interrogatoriјs alterius, ha=
beat a producente, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Si cum interrogatoriјs alterius partis, et
examen non exceſſerit folia duo, ha=
beat ſolidos quattuor à qualibet parte;
pro quolibet teſte, et ſic omnino, ſol. 8. lib. ſol. 8 d.

Si exceſſerit duo folia, habeat ſolidos duos
ab utraque parte pro dimidio pro quo=
libet folio ſic excedente, ultra taxam
prædictam. et hæc præter mercedem
ſcriptoris, quæ eo caſu ſoluatur ei ab utra=
que parte pro dimidia.

Sed, ſi teſtium examen delegari, aut extra
forum, uel urbem, Notarium de man=
dato Iudicis ire contigerit pro teſtibus
examinandis, ſiue ex officio, ſiue ad in=
ſtantiã partis; tunc ſeruetur, quod ſu=
pra dictum eſt in his caſibus circa ſimi=
les cauſſas.

Et idem, ſi teſtes per Iudicem, uel eius iuſſu
per extraneum interrogatorem exami=
nari contigerit.

Pro monitorio ad comparẽdum perſonaliter
ad docẽdum, informandumue officium,
ſeu ad ſe defendendum, ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

Pro

Pro reorum examinibus, quæ dicuntur conſtituta, ſi extra torturā ſumantur, habeat Cancellarius præter mercedem ſcriptoris, ſol. decem lib. ſol. 10 d.

Si ad torturam, ſol. quindecim. lib. ſol. 15 d.

Pro aſsignationibus terminorum, ſuſpēſionibus, prorogationibus, productionibus comparitionum articulorum, uel ſcripturarum, ſeruetur, quod ſupra in cauſis ciuilibus dictum eſt.

Pro mandato capiendi, ſeu detinendi aliquem, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro mandato relaxationis, quod appellant relaxetur, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

PRO SENTENTIIS.

Pro ſententia interlocutoria, quod ſupra dictum eſt in ciuilibus.

Pro diffinitiua condemnatoria, corporis afflictiua, banni, uel relegationis, uel ſimilium, lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Si ille, ad quem ſoluere pertinebat, fuerit [illegible]ſer, lib. duas. lib. 2 ſol. d.

[illegible] alijs ſententijs condemnatorijs extra prædicta, lib. duas. lib. 2 ſol. d.

Si abſolutoria fuerit, ex officio habeat, lib. unam. lib. 1 ſol. d.

Si ad inſtantiam partis proceſſum erit,

ut abſolutoria fuerit, habeat à parte expeditioni inſtante, ſol. duos. lib. ſol. 2 d.

Si uero condemnatoria fuerit, et partim abſolutoria, ſoluatur, ut dictum eſt, tamquam de condemnatoria; niſi aliter in ſententia per Iudicem declaratum fuerit.

Sed, ſi quid in Criminalium taxatione omiſſum eſt, ſeruentur taxæ in Ciuilibus circa ſimilia præſcripta.

IN CAVSSIS DELEgatis.

PRo rogitu preſentationis, commiſsionis, electionis, Tribunalis, Notarij, et Nantiorum, lib. unam, ſol. decem. lib. 1 ſol. 10. d.

Pro citatione ſine inhibitione, et ſine inſerto tenore commiſsionis, habeat, ultra mercedem ſcriptoris, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Si cum inſertione tenoris commiſsionis abſq. inhibitione, ultra ſcripturam, ſol. 16. lib. ſol. 16 d.

Et, ſi cum inhibitione, præter ſcripturam, ut ſupra, ſol. quindecim. lib. ſol. d.

Pro pronuntia competentiæ, uel incompetentiæ, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

In reliquis autem partibus omnibus proceſſus, ſententia diffinitiua, et alijs circa dictas cauſſas delegatas neceſſarijs, ſer-

uetur taxa, prout ſuperius in cauſſis co=ram Ordinario uertentibus præſcriptum eſt, etiam in cauſſis Conſtitutione Me=tropolitana prædicta Gregorij xiij. ſummi Pontificis auctoritate confirmata, et inouata expreſſe : ubi taxæ huius ſori ſupra præſcriptæ ſint minores ; et mode=ratiores, quam quæ decernuntur in ipſa Conſtitutione. quibus uero in caſibus illæ moderatiores ſint, in his taxæ ipſæ mo=deratiores Conſtitutionis prædictæ infra deſcriptæ præſtentur ; ad præſcriptum earundem litterarum Gregorij.

IN EXTRAIVDI=cialibus.

PRo habilitatione à iuramento de non petendo habilitationem, quæ ex officio ſeparatim fieri ſolet, habeat Cancella=rius, ſol. quattuor. lib. ſol. 4 d.

Pro qualibet relaxatione, ſeu habilitatio=ne ab alio, ſeu ab alijs iuramentis, ſol. quinque. lib. ſol. 5 d.

Si uero contigerit audiri partes in contra=dictorio, uel formari proceſſum ; ſeruen=tur taxæ in actibus, quæ ſupra dictæ ſunt in alijs proceßibus.

Pro ſentẽtia non diffinitiua, quæ ſuperinde fieri

fieri contigerit, lib. unã, ſol. duodecim. lib. 1 ſol. 12 d.

Pro declaratione excommunicationis, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro litteris denuntiatorijs, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro abſolutione, et litteris abſolutionis denuntiatorijs, ſol. duodecim. lib. ſol. 12 d.

Si uero abſolutio fiat in executione litterarum Apoſtolicarum, extra contradictorium iudicium, præter mercedem ſcripturæ, ſol. decem. lib. ſol. 10 d.

Si proceſſus interceſſerit, ſeruetur taxa ſuperius deſcripta circa proceſſus.

Pro monitorijs litteris ad formam ſignificauit, ſiue cum mandato excommunicãdi, et denuntiandi, ſiue cum excommunicatione, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro litteris denuntiatorijs ipſarum litterarum Apoſtolicarum, ſol. ſexdecim. lib. ſol. 16 d.

Sed, ſi ultra primum, alia item exempla requirantur a parte, ſoluatur ſcriptori pro eius mercede ipſius ſcripturæ.

Pro diſpenſationibus tam matrimonialibus, quàm alterius generis omnibus adnumeratis, ſol. quindecim. lib. ſol. 15

Pro quolibet ſaluo conductu, uel pænæ relaxatione, ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Pro legalitate alicuius inſtrumenti, ſol. tres. lib. ſol. 3 d.

Pro approbatione, authenticatione ue alicuius

cuius proceſſus, ſol. decem.	*lib.*		*ſol.* 10	*d.*
Pro mandato faciendi inuentarium ſol. ſex.	*lib.*		*ſol.* 6	*d.*
Si uero adferatur Notario notatum, ita quod egeat ſola ſubſcriptione, ſol. duos. li.			*ſol.* 2	*d.*
Pro declaratione, quod clerici gaudeant priuilegio, ſine cauſſæ cognitione, ſol. duodecim.	*lib.*		*ſol.* 12	*d.*
Pro dotatione, uel ſupplemento dotis cuiuslibet Eccleſiæ, Oratorij, uel Altaris ſine reſeruatione iurispatronatus, tradendo inſtrumentum, lib. tres.	*lib.*	3	*ſol.*	*d.*
Si cum reſeruatione iurispatronatus, lib. quattuor.	*lib.*	4	*ſol.*	*d.*
Pro licentia querelandi, uel teſtificandi in foro ſeculari, ſol. tres.	*lib.*		*ſol.* 3	*d.*
Pro litteris collationis gratioſæ cuiuſcumq. beneficij cum cura, uel ſine cura, non excedentis ualorem annuum ducatorum quinquaginta, tam pro labore, quam pro charta pergamena, cordulis, et alijs requiſitis, lib. tres.	*lib.*	3	*ſol.*	*d.*
Supra ducatos uero quinquaginta ad quãcumq. ſummã uſq. iuxta Decretum Concilij prouincialis quarti, lib. quattuor.	*lib.*	4	*ſol.*	*d.*

Si uero collatio fiat ex cauſſa permutationis, habeat dimidium ſupraſcriptarum ſolutionum.

Si non fiat collatio in executionem mãdati

 poſſeſſorij

poſſeſſorij, habeat lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Pro proceſſu fulminato, qui ſit in executio= nẽ litterarum Apoſtolicarum, lib. 4. lib. 4 ſol. d.

Pro confirmatione electionis dignitatis, ca= nonicatus, prebendæ, uel alterius bene= ficij, cuius confirmatio ad Ordinarium ſpectat, lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Pro præſentatione, admiſſione præſentatio= nis, edicti, et conſtitutione præſentati ad beneficium iuriſpatronatus cuiuſcumque clerici, uel laici non excedens annuum ualorem ducatorum centum, habeat lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Si uero fuerit infra ualorem ducatorum quinquaginta, lib. tres. lib. 3 ſol. d.

Si ſupra, quantacumq. ſit ſumma, pro inſti- tutione, lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Sed, ſi contingat longiorem fieri proceſſum ob incidentes aliquas controuerſias, ut repræſentationem, admiſſionem, edi= ctum, et inſtitutionem, habeat pro alijs actis cauſſæ, quod ſupra taxatum eſt in cauſſis beneficialibus.

Pro inſtrumento renuntiæ, quod extrahi petitur, habeat, ex toto, lib. 1. lib. 1 ſol. d.

Pro reſeruatione iuriſpatronatus ex priui= legio ad ſummam annui ualoris ducato= rum centum uſque, lib. tres. lib. 3 ſol. d.

Infra uero prædictã ſummã pro rata, modo

minus

minus non habeat, lib. duas. lib. 2 ſol. d.

Supra autem ducatos centum, ſolidos uiginti pro quolibet centenario ducatorum, modo non excedat omnino ducatos duos, lib. ſex. lib. 6 ſol. d.

Pro inſtrumento renouationis inueſtituræ fœudalis in ſingularem perſonam, tradendo inſtrumentum, lib. tres. lib. 3 ſol. d.

Si uero fiat in Communitatem aliquam, uniuerſitatemue, lib. ſex. lib. 6 ſol. d.

Pro renouatione autem inueſtituræ libellariæ infra lib. 25. libelli annui, l. 1. ſ. 10. li. 1 ſol. 10 d.

Pro inſtrumento permutationis bonorum quorumcumq. Eccleſiaſticorum immobilium, cum decreto, ſeruetur taxa fori ſecularis.

Pro informationibus, habeat Cancellarius, quod ſupra in ciuilibus taxatum eſt circa præmiſſa. 1 ſol. 10 d.

Idē etiā ſeruetur in quibuſcumq. inſtrumē-tis emptionum, uenditionum, et inueſtiturarum bonorum immobilium, quæ fiēt cum auctoritate ſedis Apoſtolicæ.

Pro uiſitationibus uero, præter commeatum, eumq. certo hominum, et iumētorum numero, certaq. uictus moderatione Decretis prouincialibus ꝑſcriptum, nihil omnino, ne minimum quidē eſculētum, poculētumue, etiam ſi triduo conſumi poſſit.

H AE C,

quæ ſequuntur, gratis a Cancellarijs conficienda, et edenda ſunt, etiam quo ad ſcriptionem, ad præſcriptum Concilij prouincialis quarti.

ACta Viſitationis, eorumq. exempla, quæ ijs eduntur, qui uiſitati ſunt, ad præſcriptum Decreti Concilij prouincialis editi.

Facultates, quarum auctoritate Vicarij, miniſtriq. Epiſcopales decernuntur, litteræ teſtimoniales, dimiſſoriæue de ſuſcipiendis ordinibus.

Facultas pontificalia exercendi, quæ Epiſcopo, alijsue aliquando conceduntur.

Atteſtationes, quibus teſtatum ſit aliquem idoneum eſſe, cui beneficium conferatur, quiue ad illud inſtituatur, ſiue ea collatio, inſtitutioue Romæ facienda ſit, ſiue ab inferiore Collatore, ſiue ab Epiſcopo.

Rogitus ceßionis beneficij libere coram Ordinario.

Proceſſus de natalibus, ætate, alijsue condicionibus eorum, qui initiandi ſunt, aut recipiendi in Seminario.

Inſtrumentum iuſiurandi, quod ab his præſtandum eſt, qui beneficia obtinent.

Inſtrumentum, ac teſtimonium profeßionis fidei, quæ a quouis præſtanda ſit.

Inſtrumentum fideiußionis eorum, qui in Seminario recipiuntur.

Mandatum de aliquo recipiendo in Seminario.

Facultas probationum, et pertinentium ad receptionem nouitiæ, uel ad profeßionem præſtandam.

Confirmatio Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ.

Facultates, quæcumq. Monialibus, earumue Monaſterijs conceduntur.
Facultas ingrediendi Monaſteria.
Facultas accedendi ad Monialium loca collocutionibus attributa.
Facultas erectionis, inſtitutioniſue Confratriæ, Scholæue.
Confirmatio regularum alicuius Scholæ, Confratriæue ſcripta, cum ſcilicet certæ Eccleſiæ, Scholæue quis adſcribitur.
Approbatio Ludimagiſtrorum.
Litteræ dimiſſoriæ, teſtimonialeſue.
Facultas abſentiæ cauſſa ſtudij.
Facultas eleemoſynam colligendi.
Facultas faciendi ſepulcrum.
Facultas abſoluendi a caſibus reſeruatis.
Facultas celebrandi ubiq. uel certo loco.
Facultas prædicandi.
Facultas audiendi confeſſiones.
Litteræ indulgentiarum, uel earum ſummæ.
Teſtimonium conſecrationis, reconciliationiſue Eccleſiæ, Cæmiterij, Altariumue, et Campanarum.
Conſtitutio coadiutoris.
Reductio Miſſarum, et commutatio piarum operarum.
Facultas abeundi extra fines Diœceſis, uel peregrinandi.
Litteræ, quæ pro officij munere, quauis de cauſſa ad Parochos, Vicarios foraneos, alioſue ſcribuntur.
Executio Litterarum gratioſarum, Protonotariatus, et Equitum. harum tamen litterarum cauſſa ſcripturæ merces capiatur: et ſi quid præterea Epiſcopus conceſſerit.
Proceſſus, et acta omnia, quæ conficiuntur ad miraculorum

ueritatem

ueritatem indagandam.

Facultas adſportandi cadauer de loco ad locum.

Exempla, editioneſue decretorum, ordinationum, ſtatutorum, præceptorumue, quæ Epiſcopus, aut eius Vicarius ex officio confecerit, ſeruariq. mandarit.

Conſtitutio Vicarij in quauis Eccleſia ad tempus.

Diſpenſationes, et proceſſus de defectu natalium, irregularitate, uitio, aut defectu natalium corporis, etiam auctoritate ordinaria.

Inſtrumenta, et ſcripta quæcumq. pro menſa Epiſcopali, et Capitulo conficiuntur; quæ item Seminarij cauſſa fiunt; ita tamen, ut hoc decreto immunitatis ſolutionis Capitulum, et Seminarium dumtaxat fruantur.

Clerici uero, alijq. ad quorum cauſſam, commodumue illa ſcripta, inſtrumentaue interſunt; qui ue earum exempla ſibi petunt, a ſolutione immunes ſint.

Litteræ, et expeditiones, quæcumq. conficiuntur nomine rerum mere ſpiritualium.

Expeditiones quæcumq. pro pauperibus, uel miſerabilibus hominibus, de quorum egeſtate, aut neceſſitate Epiſcopi, aut Vicarij iudicio conſtet.

Litteræ præterea, et expeditiones omnes aliæ, quas gratis dandas Epiſcopus cenſuerit.

Diſpenſationes, et facultates quæcumq. ex Decretis, uel prouincialibus, uel Diœceſanis, aut eorum cauſſa dantur.

MER=

MERCES SCRIPTORVM.

SCriptor habeat ſolidos duos ad ratione͂ folij. Et ubicumq. ſupra de folio ſit mentio, intelligatur de folio, quod contineat lineas uiginti duas ſcripturæ in qualibet pagina.

In caſibus autem, in quibus certa merces conſtituta non reperitur; ex ſimilibus ſupradictorum regula accipiatur pro modo æqualis laboris, et induſtriæ; conſulto Reuerendiſſimo Ordinario. Sin uero aliquid omnino diſſimile contigerit, cui nominatim, uel per conſentaneam diſſimilitudinem prouiſum non reperiatur; tunc habita ratione laboris, et induſtriæ ſtatuatur eiuſdem Reuerendiſſimi Ordinarij arbitratu.

Poſtremo decernitur; quod cuilibet litiganti, cum uoluerit mercedes proceſſuum, et actorum ſibi debitas perſoluere, exhibeatur, ſi fieri poterit ſchedula, pollicia ue debiti per nomina, poſtasue diſtincta; ut ſciat, quid pro quoq. actu, operaq. enumerare debeat.

Decreta omnia prædicta, et taxæ, pœnæq. propoſitæ locum habeant, ac ſeruentur etiam in quibuſcumq. cauſſis, et expeditionibus, quæ extra Ciuitatem in Diœceſi coram quibuſcumq. aguntur; et ſi alij Notarij, quam ex Cancellaria Epiſcopali, adhibeantur.

TAXAE

pro mercedibus Commilitonis, et nuntiorum Epiſcopatus.

PRo qualibet citatione oretenus, uel ſcriptis facta de aliqua perſona, uel pluribus in eade͂ familia, in Ciuitate Brixiæ habeat nuntius ſol. unum. lib. ſol. 1 d.

Idem

Idem etiam pro præſentatione cuiuslibet præcepti, intimationis, aut alterius ſcripturæ.

Si in ſuburbijs, clauſuriſue Ciuitatis ad unum milliare propinquis; marculos quattuor.	*lib.*	*ſol.* 2	*d.*
Si uero in clauſuris ulterius ad duo milliaria, ſol. quattuor.	*lib.*	*ſol.* 4	*d.*
Si in Diæceſi, ſolidum unum habeat, et denarios duos pro quolibet milliari, præter præſentationem ſcripturæ.	*lib.*	*ſol.* 1	*d.* 2
Pro qualibet pigneratione uoluntarie in Ciuitate facienda a qualibet perſona pignerata ſol. duos.	*lib.*	*ſol.* 2	*d.*
Si in ſuburbijs, ſol. tres.	*lib.*	*ſol.* 3	*d.*
Si retulerit uetitum, habeat tantum ſol. unum, den. ſex.	*lib.*	*ſol.* 1	*d.* 6
Si pignerauerit, pignoraque officio Epiſcopatus tradiderit, habeat ſol. quattuor.	*lib.*	*ſol.* 4	*d.*
Pro qualibet pigneratione, ſeu intromiſſione in Diæceſi Brixiæ facienda alicuius nomine, et pro eodem negotio tantum, ſolidum unum, et denarios duos pro milliari, præter mercedem pignerationis.	*lib.*	*ſol.* 1	*d.* 2

Non poſſint nuntij pro ſua mercede pignus, uel aliud quicquam de bonis perſonæ pignerandæ, ſeu citandæ accipere,

propoſita

propoſita pæna lib.25. pro qualibet uice, et priuationis beneficij, excepto quod cum pro eorum mercede per citatum ſatisfieri opus eſſet; tunc enim, ſi pignus acceperint, teneantur dicta pignora præſentare officio Epiſcopatus, prædicta pæna conſtituta.

Si uero nuntius quiſpiam requiſitus fuerit, ut celeriter uadat ad citandum aliquē, uel aliquos in Diœceſi Brixiæ, uel de bonis unius, pluriumue ſequeſtrandum, ſeu pignerandum; teneatur tunc intra diem unum iuiſſe, et huiuſmodi citationes, et ſequeſtra peregiſſe; habeatq. pro ſua mercede ſolidum unum, et denarios duos, ut ſupra, pro quolibet milliari a Ciuitate Brixiæ, ut ſupra, diſtante.

Si autē contigerit nuntium, Cancellarium, aut aliquem ex Notarijs Curiæ equitantibus pro formatione alicuius proceſſus, huiuſmodiue ſectari, præter uictum quotidianum, ſol. quindecim. lib. ſol. 15 d.

Pro captura cuiuslibet rei de mandato extra Ciuitatem, commilito habeat lib. quattuor. lib. 4 ſol. d.

Pro captura in Ciuitate lib. tres. lib. 3 ſol. d.

Pro captura in palatio Epiſcopatus lib. unam, ſol. decem. lib. 1 ſol. 10 d.

Si contigerit intra mænia commilitonem

Epiſcopatus ſocios duos ſecum habere, ſinguli librã unam conſequantur; ſi plures, ſolidos 12. Si uero extra Ciuitatem, ijque quinq. tãtum fuerint, ſingulis diebus marcellos ſex ſingillatim habeant; ſi plures, ad decem uſq., libram unam, et ſolidos quattuor planet.

Carcerati ſoluant cuſtodi ſingulis diebus ſol. unum. lib. ſol. 1 d.

Pro tamen tempore, quo in carcere Epiſcopali non manebunt, nihil cuſtodi ſoluãt, ſi pauperes fuerint; ſin minus, ſoluant dimidiam.

Pro intruſione in carceres, ſeu introitu ſol. ſex. lib. ſol. 6 d.

Totidem item pro egreſſu.

Si locus extra carceres, loco carceris reo attributus fuerit, commiſſo pariter nihil pro carcere a paupere recipiat; ab alijs uero dimidiam habeat, ut ſupra. ſed, ſi locum mandati reus non ſeruauerit, præter alias pœnas arbitrio Iudicis, ſoluat cuſtodi, uel alij officiali cum accuſanti ſolidos decem pro qualibet uice.

Si quid contigerit, quod ſupra taxatum non ſit, nihil pro eo exigatur, donec a Reuerendiſſimo Epiſcopo taxa præſcribatur, et à Reuerẽdiſſimo Archiepiſcopo Mediolani comprobetur.

De forma tonſuræ pro cuiusq. gradu, et ordine, labriſq. ſuperioribus præcidendis.

De colore nigro in omnibus clericalibus indumentis, et domeſtica etiam ueſte adhibendo.

De interiore, et exteriore ueſte talari, ac exteriore ſemper induenda in Eccleſia, cum ſuperpelliceum indui non debet.

De multiplici ratione ueſtis exterioris, eaq. etiam per loca diœceſana utenda; atq. uiatoria ueſte exteriore in itinere ab equitantibus induenda.

De frugalitate menſæ clericorum, modeſta ſupellectile, eorumq. familiæ ueſtitu, numero, et reliqua moderatione, atq. clericali habitatione.

De cauendo otio, conuiuijs, cauponis ſpectaculis, choræis, ſaltationibus, comœdijs, haſtiludijs, ludis, armis, uenatione, conductione, alijsq. negotijs ſecularibus, ſeruitio, famulatu, et obſequio laicorum hominum; conſuetudine item, et cohabitatione cum mulieribus, laicaliq. familiaritate; præterea libris inanibus, ridiculis, iocoſis, et impuris.

De ſtudijs cleri, eiusq. conuentu ad ſacras conciones, lectionesue etiam priuatas, libriſq. requiſitis ſingulis clericis, uidelicet, Biblijs, Catechiſmo Romano, Concilio Tridētino, et Prouincialibus, et Synodo diœceſana, et Indice librorum prohibitorum: præter quos libros Parochus unuſquiſque habeat etiam Paſtorale ſancti Gregorij, Summam caſuum conſciētiæ, et Homiliarium Epiſcopi iudicio probatum; tum ſingulos libellos Inſtructionum a Metropolitano ad uſum

prouinciæ editos, aut a proprio Epiſcopo ad uſum ſuæ Diœceſis, et alios etiã ad uniuſcuiusq. munus ſuum, captumue accommodatos.

Ad uitæ autem ſpiritualis ſtudia promouenda, Reuerendiſſimus Epiſcopus conueniens aliquod Oratorium curet conſtituere; ubi bis, terue in hebdomada ſacerdotes aliqui litteris, et moribus ab eodem probatis, ad ſpirituales collocutiones ſtata hora conueniant; ut ea exercitatione non modo ſacerdotes ipſi uitæ ſacerdotalis officijs, ac pijs oblectationibus ſtudioſius ſe ſe contineant, uerum etiam ad eminentiorẽ uirtutum chriſtianarum gradum ſe ipſos, ac pios auditores in dies magis alliciant, ac perducant.

De delectu complurium ſacerdotum pro audiendis confeſſionibus cleri, præſertim diaconorum, et inferiorum clericorum.

De inſtitutione Magiſtrorum cæremoniarum per Diœceſim, nec non Præfectorum, et Punctatorum, in officijs extraordinarijs cum iuramento, etiam in Synodo, atq. punctatione erratorum.

De clericalibus, et eccleſiaſticis minorum ordinum functionibus a laicis non præſtandis, ſed ab his, qui in illis ordinibus conſtituti ſunt, ad præſcriptum Concilij Tridentini.

De teſtimonijs functionum, et exercitationum præſcriptarum a ſingulis exhibendis.

De conuiuijs, ludis, et alijs inanibus oblectamentis, et abuſibus in miſſis nouis tollendis; quod etiam a regularibus ſeruetur.

De Miſſa in Oratorijs non celebranda, etiam a Regularibus, niſi ex facultate Epiſcopi ſcripta, et exarata, quæ non facilè concedatur.

De ritibus, et cæremonijs a ſacerdote celebrante obſeruandis; et de eorum examine, periculoq. Quod a Regularibus etiam præſtetur.

De Miſſa in proprio Altari, et non alibi celebranda, et de non ſuſcipiendo munere celebrandi Miſſam abſq. Epiſcopi facultate, quæ etiam ſeruent Regulares.

De oneribus in Eccleſia ſua, uel extra, a Parocho non ſuſcipiendis, quæ ipſum a munere ſuo impediãt: nec uero ab alio, plus quam pars uirilis præſtare poſſit: quod ſuperiores etiã Regularium cauere diligenter debebunt.

De Miſſa non retardanda, aut anticipanda alicuius gratia; et de pæna impedientium.

De candelis non extinguendis in Miſſa, niſi abſoluto Euangelio, quod poſt benedictionem dicitur; neq. intortitijs ante ſumptionem ſanctiſsimæ Euchariſtiæ. quod omne etiam a Regularibus ſeruetur omnino.

De clerico inſtructo, et idoneo talari ueſte, et ſuperpelliceo induto ad Sacerdotem celebrantem adhibendo, et ratione ad id efficiendum ineunda.

De ratione, et ordine Miſſarum tabella, etiam publica, in ſingulis Ecclesijs a Rectore proponenda, uel ab alio ab Epiſcopo huic muneri conſtituto. quod etiam in Ecclesijs regularibus præſtetur.

De libro Miſſarum quotidie ſubſcribendo, etiam a Regularibus, in Ecclesijs ſecularibus.

De præſtiti muneris rationibus, et calculis ineundis; et eorum teſtimonio ſcripto, et congrua eleemoſyna perſoluenda.

De frequenti eccleſiaſticorum hominum confeſsione, et communione, et Miſſæ celebratione.

De

De ratione, pœnaq. non celebrantium, et reliqua omni in hoc genere cautione.

De communione miniſtrorum in Miſſa ſolemni.

De officio, et apparatu ſolemni pro feſto ſolemni, uel eorum ſacris reliquijs, feſto die anniuerſario.

De conuentu Parochorum, et clericorum ad celebritates dierum feſtorum, et numero præſcripto. nec ullo modo, prætextuue admittatur in choro ad diuina officia ſacerdos, uel clericus, niſi cum birreto, et habitu clericali, et ueſte talari, ac ſuperpelliceo. quod quidem ſuperpelliceum in omni miniſterio chori ſemper adhibeatur.

De ſuperpelliceo decenti, ab unoquoq. eccleſiaſtico homine habendo.

De chirotecis, et pileis in proceſſionibus, choroq. non adhibendis.

De diſciplina cleri in ingreſſu, ſtatione, et egreſſu chori.

De cantoribus, uel clericis, uel ſaltem ueſte talari, et ſuperpelliceo indutis ſemper in choro adhibendis. quod regulares etiam ſeruent omnino.

De muſicæ ratione in diuinis officijs adhibenda, et tibijs, cornibus, ciuſmodiq., et alijs omnibus muſicis inſtrumentis, organo excepto, in eccleſia nullo pacto admittẽdis. quod etiã a regularibus omnino ſeruetur. propoſitaq. ſit pœna ſuſpenſionis a diuinis ipſo facto Rectori, uel ſuperiori Eccleſiæ, qui ſecus admiſerit, uel permiſerit, iuſſeritue.

De controuerſijs, ac litibus omnibus de præcedentia dirimendis, quæ cum maximo ſcãdalo inter perſonas eccleſiaſticas, tam ſeculares, quam regulares, et capitula etiam cathedralis Eccleſiæ huius Ciuitatis in funeribus, funeralibuſq. officijs,

ficijs, et proceſsionibus exoriuntur. quas quidem Reuerendiſsimus Epiſcopus ex Concilio Tridentino, ac etiam huius Viſitationis, et omni alia ſibi data, auctoritate ſummarie, ac de planoq uamprimum componat, decidatue.

De ordine, et ratione in proceſsionibus; etiam funeralibus, ſeruandis; de cruce in eis a clerico talari ueſte, et ſuperpelliceo induto præferenda; de cantu, et precibus in uia; de candelis, et intortitijs, etiam quæ in funeribus dantur, uere accēdendis, et a clero ipſo, etiam digniori, manibus deferēdis; atq. de non adhibendis altarium pallijs tumbis, cænotaphijsue ornandis. quæ omnia, et ſingula etiam ab uniuerſo regulari clero ſeruentur.

De moderanda, et præſcribenda eleemoſyna clericis, et ſacerdotibus in funeribus iuxta pia inſtituta, et laudabiles conſuetudines, habita perſonarum, et locorum ratione, iudicio, et arbitrio Reuerendiſsimi Epiſcopi; qui prohibeat abuſum in Diœceſi frequentē configendi in cereis, intortitijsue nummos eleemoſynæ nomine clero datos.

De pactionibus, et exactionibus, colluſionibusue illicitis, uel ſordidis amouendis, ac de omni deniq. auaritia, et auaritiæ ſuſpitione a clero, etiam regulari, cauenda, atq. omnino ſeuere per Reuerendiſsimum Epiſcopum coercenda. nec pro crucibus, neq. pro pallio, aut ſepultura, quidquam quouis nomine exigatur, accipiaturue, etiam a Regularibus, contra præſcriptum Decreti prouincialis.

De tollendis ſpectaculis, comeſſationibus, et quouis uſu edendi, etiā prætextu eleemoſynarum, uel legati, in proceſsionibus.

De tollendis abuſibus in proceſsione, uel diſtributione palmarum in feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

De

De conuentibus clericalibus in Diœceſi habendis, tum parti=cularibus, et hebdomadarijs, tum mẽſtruis, parochorum in primis. huiuſmodi autem, menſtrui ſcilicet, deinceps omnino ſingulis menſibus per orbem celebrentur.

Ad prædictos conuentus non a prandio; ſed mane conueniatur ad diuina celebranda; tum cibus una capiatur præſcripta frugalitate; tum deinde congregatio habeatur: hæcq. omnia, et ſingula ex ratione Decretis prouincialibus, et inſtructionibus Metropolitani cura edẽdis præſcripta. Si quis uero uel non conuenerit, uel aliud quidquam negligentia, aliaue culpa contra præſcriptum peccarit, Reuerendiſsimi Epiſcopi arbitratu ſeuere puniatur. atq. in primis Vicarij foranei in hoc officio negligentia, aliaue culpa ſeuere coerceatur.

De reliqua omni ratione diſciplinæ ſacerdotum, et clericorum in concelebrandis feſtis, frugalitate menſæ, perpetuaq. lectione in ea adhibenda, cum uel feſtorum dierum, aut ſolemnium officiorum, uel funerum, uel exequiarum, uel conuentuum ſacerdotalium quorumcumq. cauſſa, occaſioneue ſimul cibum capiunt. Qua in re Illuſtriſsimus D. Viſitator ſeueriorem diſciplinam requirit a Reuerendiſsimo Epiſcopo ad compeſcendam licentiam, et profligandos complurimos abuſus, qui frequentiſsime in clero præſertim Diœceſano, comperti ſunt; atq. ad coercendam facilitatem, et indulgentiam, etiam Vicariorum foraneorum, mulctis, ac pœnis, prout opus ſit, opportunis.

De diſciplina ſeruanda tempore Synodi; in qua, cum deligi ſoleant Syndici, Sapientesue cleri, hæc de eorum electione ex officio ſtatuit Illuſtriſsimus Viſitator perpetuo ſeruanda.

De

De Sapientum, Syndicorumue uniuerſi Cleri Ciuitatis, et Diœceſis Brixienſis officio, ne rixoſis, aut criminoſis, nec ijs, quibus aliquod munus incompatibile annexum eſt, ſed uiris de Clero grauioribus in ſacro ordine conſtitutis, prouidis, idoneis, et boni teſtimonij committatur; qui ſciant, uelint, et poßint utiliter, prudenter, ac religioſe Cleri uniuerſi cauſſas iuxta ſacrorum Canonum, et Conciliorum conſtitutiones pro ſui officij ratione agere.

Qua de re ex ijs, qui in Synodo ſingulis annis habenda de more nominantur, uiginti quattuor, ſeu triginta ad ſummum ab Epiſcopo, ſeu eius Vicario, Epiſcopo prædicto abſente, probentur; quorum media pars ex Clero Ciuitatis, media ex clero diœceſano ſit. ij uero ſic probati proponantur Clero in prædicta Synodo congregato, qui eligat ſex de Ciuitate, et totidē ex Clero diœceſano, idq. per ſecreta ſuffragia, ſeu fabas, ita ut, nec uoce, nec ſignis, nec alia quacumq. ratione eligentium ſententia aperiatur.

Qui uero maiorem ſuffragiorum numerum retulerint ſupra medietatem, ad huiuſmodi munus electi cenſeantur.

Nullum ipſi negotium agant, ſtatuant, uel decernant, niſi uocatis antea omnibus collegis, etiam qui in Diœceſi ſunt, et de ſententia, et aſſenſu maioris partis eorum, qui ſtata die ſimul conuenire uoluerint, ſimiliter per ſecreta ſuffragia, ſeu fabas accipienda, et declaranda.

Conuocatio autem fiat per Epiſcopum, uel, eo abſente, per eius Vicarium in ſpiritualibus generalem. idemq. præſideat omni conuentui inter illos habendo, uota exquirat, et iuxta ea concludat; præcipuamq; rerum omnium gerendarum auctoritatem habeat; niſi cum de re, aut cauſa ad ipſius ſuo-

rumq. propinquorum familiarium commodum ſpectante tractetur. quo caſu dignior ex ipſis Sapientibus, ſeu Syndicis hæc officia omnia præſidentiæ præſtet.

Qui uero ſiue Epiſcopo, ſiue eius Vicario, aut facultate, ſeu licentia ſcriptis obtenta ad aliud pertractandum ſimul conuenire præſumpſerint; præter actuum nullitatem, pœnis infra contrafacientibus inflictis ſubiaceant.

In omni illorum conuẽtu, et tractatione adhibeatur Notarius ab ipſis electus, et ab Epiſcopo probatus, qui acta conſcribat.

Hic uero Sapientum conuentus nullum ſibi ius, uel auctoritatem uſurpet, arrogetue; ſed ſolum, ut Cleri actores, ſyndiciue, eas tantum, quæ proprie ad uniuerſum Clerum, non autem ad priuatos ſpectant, cauſſas agendas, defendendasue ſuſcipiat; nec communes Cleri cauſſas agendas, exiſtiment; neque ullo prætextu agant, quæ particulares perſonas, et Eccleſias etiã ipſorum Sapientum reſpiciant, quæue Eccleſiæ libertati aduerſantur; neq; in eis quouis prætextu, aut colore, ſe ſe ingerant, aut intromittant. Quod ſi in horum aliquo deliquerint, ultra pœnas infraſcriptas, grauius etiam arbitrio Epiſcopi coerceantur.

Decimas, collectas, aut alia onera Clero non imponant; nec ab eo exigant quouis prætextu, aut cauſſa, niſi ſeruata forma iuris, ac conſenſu Epiſcopi, ſeu, ipſo abſente, eius Vicarij generalis in ſcripto obtento; niſi cum agitur de re, uel cauſſa, quæ ad eundem Epiſcopum, ſuoſue pertineat; decernẽs irritum, et inane, quidquid contra prædicta actum, factum, geſtumue fuerit.

Quiſquis uero eorum, qui ijs, aut alicui præmiſſorum contrauenerit, ſeu contrafecerit, hoc, et omni alio officij, et mu-

neris

neris genere, quod in diæceſana Synodo tribui ſolet, eo ipſo priuatus exiſtat; et pænam amiſſionis fructuum unius anni beneficiorum eccleſiaſticorum, quæ obtinet, eo ipſo incurrat, Scholæ Corporis Chriſti cathedralis Eccleſiæ Brixienſis applicãdorum. Poſtremo Epiſcopus in eundem alijs pænis, mulctis, ac cẽſuris, prout opus fuerit, ac exceſſus, perſonarumq. grauitas exegerit, eius arbitrio animaduertat.

De Parochorum, et aliorum, quibus animarum cura quouis nomine imminet, reſidentia in Eccleſia ſua, ædibusq. parochialibus. quod ſi etiam ex cauſſa aliquando, et breui etiam tempore, ab Eccleſia ſua ſine ſcripta approbatione, facultateue a Tridentino Concilio præſcripta abſuerint, fructus amittant, ad eiuſdem Concilij præſcriptum.

Capitulum, uero Monaſteria, Commendatarij, et alij quicumq. obtinentes beneficia, in quibus Vicariæ perpetuæ ſunt, quartam partem annui ſtipendij conſtituti ante ſingulorum trium menſium ſeruitium Vicarijs ipſis omnino repræſentent: ac ideo, prout Reuerendiſſimus Epiſcopus expedire cenſuerit, fructus quotannis ſequeſtro ponat, et opportune relaxet.

De diligentia omni Parochorum in tuenda fide catholica, repellendisq. hæreſibus, et hæreticorum commercio, et ſuperſtitionibus, blaſphemiaq. euellendis.

De claue Tabernaculi, Baptiſterij item, et feneſtellæ ſacri Olei infirmorum a Parocho ipſo tuto ſeruanda, nec alijs committenda.

De ſudariolis, linteisue in Baptiſterio datis, ad uſus profanos non adhibendis.

De loco decenti, et honeſto domi, ſi quando ibi Oleum infir=

morum retineri concedat Epiſcopus.

De clerico, ſaltem uno, adhibendo in miniſterio ſacri Olei infirmorum, et modo deferendi, et precibus in uia.

De ſermone, uel concione parochiali ſingulis diebus feſtis, et præterea aliàs ſæpe, ad præſcriptum, ab ipſo Parocho habenda per ſeipſum, uel per alium, ſi quando eum legitime impeditum Epiſcopus cenſuerit. quo in munere quoties Parochus defuerit, toties dimidij aurei nummi pænam ſubeat, quæ Scholæ Corporis Chriſti eiuſdem Eccleſiæ ipſo facto attributa cenſeatur.

De inſtructionibus Concionatorum Metropolitani cura editis ſeruandis; quas ideo habeant omnino, quicumq. ad munus concionandi admittuntur.

De loco tempore, et ritu ſacræ concionis, ſermonisue.

De teſtimonio, facultateue ſcripta ab Epiſcopo impetranda a quocumque, etiam Regulari, antequam id muneris aggrediatur, et præuia approbatione, etiam per examen; ſicut Reuerendiſſimo Epiſcopo uidebitur.

De officijs pluribus a Parocho præſtandis ad alliciendum, retinendumq. populum in integra obſeruatione, et ſancto, ac religioſo dierum feſtorum cultu.

De opera Parochi, præſertim die feſto, in Miſſa, et Veſperis, ac alijs diuinis officijs, et a clericis adſcriptis, et ab alijs etiam ibidem incolis præſtanda; niſi alteri Eccleſiæ adſcripti ſint, aut teneantur ex onere beneficij.

De Veſperis ſingulis diebus feſtis in parochiali Eccleſia celebrandis. qua in re Parochus, et alij clerici deinceps Decreta præſtent diligentius.

De conuentu Capellanorum, et aliorum clericorum in propria

Eccleſia

Eccleſia parochiali ad Scholas doctrinæ Chriſtianæ, ad diuina officia, ad profeſsiones, ad exponendam orationẽ quadraginta horarum, et ad alia præſtãda ex Decretis, et Concilij prouincialis, niſi in aliam Eccleſiam, uel ratione beneficij, uel quando in ea adſcripti ſunt, conuenire debeant.

De clerico parochiali ſemper habendo, eoque idoneo, et clericali ueſtitu congruenti ſemper induto.

De Salue Regina ſingulis ſabbatis in Eccleſia parochiali canenda.

De inſtituto orationis ueſpertinæ reſtituendo, et augendo, et ad id conuocando populo frequentibus adhortationibus ad Eccleſiam. Qua in re ſi Parochi, uel alij clerici cuiusque Parochiæ negligentes fuerint, corripiantur, et mulctentur Reuerendiſsimi Epiſcopi arbitrio.

De multiplici Parochi officio in tradenda doctrina Chriſtiana, et Schola eius inſtituenda. quoties uero Parochi defuerint in ea die feſto tradenda, toties dimidij aurei pœnam ſubeant ipſo facto Scholæ ſanctiſsimi Sacramenti eiuſdem Eccleſiæ applicandam. quod ſi alij clerici, et eccleſiaſtici homines, qui in parochiali uicinia degunt, eum iuuare neglexerint, ad præſcriptum corripiantur, et demum etiam mulctentur Epiſcopi arbitratu.

De feſtis diebus, ieiunijs, ſtationibus, indulgentijs publicis, ſi quæ indictæ ſunt, orationibus, proceſsionibus, officijs mortuorum in ſua parochiali Eccleſia a Parocho diebus Dominicis denunciandis; atque illis ipſis diebus Dominicis commonendo populo, ut antequam ab Eccleſia diſcedat, oret pro cauſsis, tum publicis, tum priuatis præſcriptis.

De feſtis diebus, quos Clerus ſecularis, et populus obſeruant,

etiam a Regularibus ſeruandis.

De ſuperpelliceo, et ſtola a ſacerdote ſeculari ſemper adhibenda ad Sacramentorum adminiſtrationem, atque ad Oleum ſacrum ad ægrotos deferendum; et de ueſtitu item Regularium in adminiſtratione ſacramenti Pænitentiæ.

De explicanda ui Sacramentorum in ipſa miniſtratione, præſertim pluribus adſtantibus.

De auaritia omni, et auaritiæ etiam ſpecie, ſuſpicioneue cauenda. quod etiã a Regularibus in primis præſtetur, præſertim in Sacramentis, et alijs ſacris miniſtrandis, quam Reuerendiſsimus Epiſcopus, et Superiores regulares ſeuere coerceãt.

De confeſsionibus a nullo uel regulari, uel ſeculari ſacerdote ſine facultate Reuerendiſsimi Epiſcopi ſcripto conceſſa audiendis, quam non ſine præuio examine ipſe ulli faciat; et ſi regularis fuerit, ne ſine ſui Superioris de probatis moribus teſtimonio, eoq. litteris exarato. Qui uero iam ſine præuio examine, aut facto examine, ſed antequã Epiſcopus ipſe, qui nunc adeſt, Brixienſi huic Eccleſiæ præficeretur, admiſsi ſunt, hi etiam ſigillatim intra trimeſtre ſpatium ad ſummum examen ſubeant, probenturq. neque poſt illud ſpatium ſacramentum Pænitentiæ ullo prætextu miniſtrare poſsint, niſi, præuio examine, ſcriptã probationem, facultatemue ab eodem Epiſcopo de nouo impetrauerint. Si qui uero Regulares iam ſub eodem Epiſcopo ſemel examinati, probati, et admiſsi ſunt, niſi aliud impediat, perſeuerare poterunt ſine alio examine, et probatione, exceptis his, de quibus nominatim in ſui Monaſterij Decretis ſecus ab Illuſtriſs. uiſitatore cautum eſt. Si quiſquã regularis, uel ſecularis contra, quã ſupra præſcriptum eſt, audire

confeſsio

confeſſiones præſumpſerit, pænam ſuſpenſionis a diuinis, ipſo facto, ſubeat ad tempus arbitrio Reuerēdiſſimi Epiſcopi.

De præcipuis doctrinæ Chriſtianæ capitibus, ſcilicet Symbolo, oratione Dominica, ſalutatione Angelica, et Decalogo a pænitente recitandis, antequam eius confeſſio audiatur. quo in officio ſi confeſſarij ſacerdotes, præſertim Regulares, contra Decretum quidquam peccarint, Reuerendiſſ. Epiſcopus eis interdicat officium audiendi confeſſiones arbitratu ſuo.

De mulierum confeſſionibus nec ante ſolis ortum, nec poſt eius occaſum, nec ſine confeſſionali, nec in Sacriſtia, ſed in Eccleſia audiendis. Decretumque hoc locum ita habere decernitur, etiam in Regularibus; ut qui Confeſſarius mulierum confeſſiones, aut tabula non interiecta, aut in Sacriſtia, aut in ædibus Eccleſiæ audierit, ipſo facto ſubeat pænam ſuſpenſionis ab illo munere exercendo, arbitrio Epiſcopi.

De confeſſionibus, etiā uirorum, extra Eccleſiā, Oratoriumue, præterquā ægrotātium, aut ex urgēti cauſſa non audiēdis.

De inſtructionibus ſuper adminiſtratione ſacramenti Pænitentiæ iam ab Illuſtriſſimo Metropolitano editis, quas ſeruent omnes, qui confeſſiones audiunt, etiam Regulares.

De confeſſione ægrotorum, et officio Medicorum cum illis ex præſcripto Conſtitutionis Pij. V. ſummi Pontificis, quæ conſtitutio hoc anno quotoquoq. trimeſtri, ac deinde quotannis, ſemel ſaltem, promulgetur a Parochis, et Concionatoribus.

Qui uero confeſſarij ſacerdotes miniſtrarint ſacramentum Pænitentiæ alicui ægroto ex decreto Conſtitutionis, eidem ſtatim fidem illius miniſtrationis ſcripto faciant: uel, ſi quid accidat impedimenti, ſaltem per totum illum diem ſubſcribant, et tradant ægroto, uel ijs qui curam illius habent. ſi

uero

uero non fecerint Parochi, et reliqui ſacerdotes ſeculares pœnam aureorum quattuor Scholæ Corporis Chriſti appli=candũ, Regulares uero ſuſpenſionem a confeſſionibus au=diendis ad arbitrium Reuerendiſſimi Epiſcopi ipſo facto incurrant.

Agatur autem ad declarationẽ pœnarum earundẽ Conſtitu=tionis Pij. V. contra Medicos, et Chyrurgos, qui in poſte=rum munus illud exercebunt, antequã iuramentum præſtite=rint ex eadẽ Conſtitutione. Idẽ fiat cum his, qui iã exercẽt, niſi intra duos menſes, uel præſtent, uel doceant publico te=ſtimonio ſe iã præſtitiſſe in hac Diœcæſi. Nec uero eos etiã, qui præſtiterint, patiatur Reuerendiſſimus Epiſcopus im=pune negligere illius Conſtitutionis, et Decreti prouincialis præſcriptum ægrotos uiſitandi poſt tempus conſtitutum ſine teſtimonio uere ſcripto illorum confeſſionis, uel ſpatij (ſi quando id acciderit) prorogati eius conſenſu, uel auctori-tate, cui id muneris dederit Epiſcopus ex Decreto Concilij prouincialis quarti.

De caſibus ſanctæ Sedi Apoſtolicæ, aut Epiſcopo reſeruatis habendis ab unoquoque confeſſario ſacerdote; qui etiam ſi regularis ſit, ſi ſine facultate ab Epiſcopo data in caſibus Epiſcopo reſeruatis abſoluere attentarit, pœnam excommu=nicationis ipſo facto ſubeat. Epiſcopus autem ne det, niſi ſcriptam facultatem, præterquam in caſibus particula=ribus, et niſi ex urgenti cauſſa. Caſus autẽ reſeruati Epiſco po quotannis initio Aduentus, et Quadrageſimæ promul=gentur populo a Parochis, et Concionatoribus, tum etiam Decreta illa proincialia, quibus continetur declaratio; quod Regulares uigore priuilegiorum, uel ſui Ordinis, uel

Confratriarum

Confratriarum non poteſt ab his abſoluere.

De pecunijs per pænitẽtes ſoluendis per Confeſſarium ſibi non attribuendis; neq. illarum diſtribuendarum cura a Confeſſario ſuſcipienda; neq. etiam eleemoſyna, quæ a pænitente eroganda eſt pro ſacrificio Miſſæ faciendo. quod idem a Regularibus caueatur.

De teſtimonio confeßionis ſcripto tradendo pænitenti tempore paſchali; et indice confitentium Paſchati tempore conficiendo Epiſcopo a Confeſſario, etiam regulari.

De inſtructione, uel raro, uel primum communicantium.

De ſacra Communione miniſtranda, potißimum in Miſſa, et uiris loco diſtincto a fœminis: et, ut clerici ſuperpelliceo induti ad Altare, uel in Choro eam ſumant; populus uero in remotiore parte.

De ordine, et modo miniſtrandi, et Inſtructionibus ab Illuſtrißimo Metropolitano eo de genere editis ſeruandis.

De cauenda omni directa, uel indirecta quæritatione eleemoſynæ in ſanctißimæ Euchariſtiæ adminiſtratione. qua in re prohibetur etiam Regularibus, pæna, et mulctis arbitrio Epiſcopi conſtitutis, ne eo temporis ſpatio, quo miniſtratur, recipiatur in peluiculis, uaſis linteis ſacræ Communioni ſuppoſitis, aut alio apparatu, eleemoſyna, etiam ſponte data. Sed, ſi qui uoluerint quidquam offerre, tempore oblationis erogent, cum recipitur in Miſſa ex ueteri Eccleſiæ inſtituto; aut aliàs in capſulam proijciant pro eleemoſynis illius Eccleſiæ conſtituta.

De ſacra Communione ab unoquoq. ſumẽda tempore paſchali in ſua Parochia; et ab ipſo Parocho certa cautione, rationeq. ineunda, qua Parocho, et Epiſcopo conſtet, ſi qui

illius curæ commiſſi eò tempore non communicarint.

De reijciendis a ſacra Communione per Parochum concubinarijs, et alijs huiuſmodi publice criminoſis, donec uera emendationis teſtimonia dederint, etiam ſi fidem confeſſionis exhibeant.

De ijs, qui non communicarint, ingreſſu Eccleſiæ interdictis denunciandis. Qua in re, ut remedium aliquod ſalutare multis animarum detrimentis, quæ hoc in genere in Viſitatione comperta ſunt, tandem adhibeatur; decernitur, ut Curatus quiſq. Ciuitatis, et Diœceſis die Dominico, qui eſt octauus a Dominicæ Reſurrectionis die, inter Miſſam parochialem unica pro trina monitione moneat omnes generatim ad Altare, quod; Qui præcepto Eccleſiæ hac in re non ſatisfecerint, ſaltem intra hebdomadam ſequentem confeſſi ſacram Euchariſtiam ſumant. Liceat tamen Parocho ex neceſſaria cauſſa alicui ſigillatim huiuſmodi facultatem per aliam item hebdomadam facere, prorogareque: tranſacto uero eo temporis ſpatio, ſtatim, nulla alia ratione expectata, Parochus primo die feſto omnes, qui non communicarint, niſi de aliquibus aliud Epiſcopus iuſſerit, ingreſſu Eccleſiæ, et Eccleſiaſtica ſepultura interdictos denunciet; eorumq. nomina, atque denunciationẽ per ſe factam Epiſcopo ſignificet. Epiſcopus uero, qui pro tempore erit, iubeat etiam in Cathedrali denunciari, et affigi; ceteraque deinde ſeruari ex præſcripto Concilij prouincialis, et ſacrorum Canonum contra eos, qui interdicti ſunt ingreſſu Eccleſiæ. Nec uero ſpatium confitendi, et communicandi alicui proroget Epiſcopus, niſi ex graui, et urgentiſſima cauſſa, et hoc ad breue tempus. Si ſecus

fecerit

fecerit, de eo ſubeat iudicium prouincialis Concilij. quam ob cauſſam, ſi quando eius conceſſu, permiſſuue, alioue quocumq. modo quiſquam ultra trimeſtre poſt Paſcha ſacram Communionem ſumere diſtulerit, eorum ſingulorum indicem cum cauſsis Metropolitano per bimeſtre ante Concilium prouinciale tradat: ut ab eo in Synodo cognoſci poſsit; ſi quiſquam in re tam graui ſuo muneri defuerit.

De Communione mendicantium, et aduenarum.

De ſacra Communione ægrotis, etiam pluries, miniſtranda: et duabus particulis ad eos, niſi ubi ex cauſſa aliter Epiſcopus conceſſerit, deferendis. qui autem defert, omnino aperto capite ſit, et pluuiali, uel ſaltem ſuperpelliceo, et ſtola indutus ad præſcriptum.

De non audiẽdis confeſsionibus in confinibus ſine utriuſq. Ordinarij probatione ad præſcriptum, propoſita pæna ſuſpenſionis ab audiendis confeſsionibus in hac Ciuitate, uel Diœceſi per annos duos. Nec huiuſmodi Confeſſariorum teſtimonia Parochus admittat. Promulgeturq. Decretum eo de genere in illorum locorum finibus.

De indice Confeſſariorum initio Quadrageſimæ, et Aduentus Epiſcopo tradendo a Regularibus, et in foribus Sacriſtiæ affigendo.

De Sodalitatibus Corporis Chriſti inſtituẽdis in ſingulis Parochijs, ubi iam erectæ non ſunt. reſtituantur autem, et foueantur, quæ olim erectæ nunc langueſcunt: propagenturq. ſub Regulis cura Metropolitani editis, et cum Indulgentijs a ſancta Sede Apoſtolica huic Prouinciæ per eundem impetratis.

De doctrina, et inſtructione populi; de ui interdicti, aliarumq. cenſurarum, et Conſtitutione Clementis Quinti contra interdictos, excommunicatosq. contumaciter perſiſtentes in Eccleſia.

De cautione adhibenda a matribus infantibus intra annum.

De obſtetricum examine, et officio.

De ratione inueſtigandi uoluntatem contrahentium Matrimonium, præſertim puellæ; et cognoſcendi impedimenta, et denunciandi; et de copula ante Matrimonium ſeuere punienda.

De cautione adhibenda a Parochis in Matrimonijs, quæ cum incolis locorum hæreticorum, aut finitimorum contrahuntur; itemq. in Matrimonijs uagorum.

De loco tempore, et modo in celebrandis Matrimonijs; et de ſacra item benedictione ſponſorum, et abuſibus omnis generis tollendis.

De conuocatione patrumfamilias, et dominorum officinarum coram Curatis, et promulgatione regularum.

De cura diligenti infirmorum habenda, ut Sacramenta quã primum, et opportune ſumant; et præcipua diligentia, ne quiſquam ſine ſacramento Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, et extremæ Unctionis moriatur.

De præparatione in domo ægroti, inſtructione, et adhortatione ad ægrotum ipſum, atq. ad adſtantes in adminiſtratione ſacri Olei infirmorum, ac poſt eam a Parocho facienda; et reliqua cautione ea in adminiſtratione adhibenda.

De reliqua cura morientium, et diligentia Vicarij foranei, Præfectiue ſuper officio a Parocho ea de cauſſa conficiendo.

De

De Parochi uiſitatione frequentiſsima infirmorum ſuæ Parochiæ, et Libro mortuorum conficiendo.

De diligentia adhibenda in eradicando concubinatu, et alijs facinoribus huiuſmodi: qua in re Parochus ſæpe Reuerendiſsimum Epiſcopum conſulat, ipſeq. Epiſcopus omni ratione, et officio animarum ſaluti conſulat.

DE ECCLESIIS, & earum cultu.

DE ſacra Euchariſtia dumtaxat in Tabernaculo ligneo in Pyxide aſſeruanda; nulla uero præterea alia re, præter Corporale, quo ſtratum eſt Tabernaculum.

De particulis conſecratis octauo quoque die renouandis. nec uero pro illis ſeruandis Corporale, eiusue pars, collocetur in Pyxide. exacta autem diligentia adhibeatur in abſtergenda Pyxide, et alijs uaſis ſacræ Euchariſtiæ, colligendiſq. fragmentis.

De ratione ſeruanda in expoſitione ſanctiſsimæ Euchariſtiæ pro oratione quadraginta horarum, quæ numquam exponatur ordinarie, uel extraordinarie, ſine facultate ab Epiſcopo impetrata, aut ab eo, quem is delegarit. Cum uero expoſita eſt, ſemper adſiſtat unus, ſaltem in ſacro ordine conſtitutus: aliaque omnino ad præſcriptum Decretorum prouincialium ſeruentur. aliàs exponere, ne liceat, etiam in regularibus Eccleſijs, et exemptis.

De Tabernaculo ligneo intrinſecus ueſtiendo panno ſerico: cuius oſtiolum, nec nimis anguſtum, nec ſeparatum a Tabernaculo

bernaculo ſit, neq. intrinſecus aperiatur; aut ita diſtet; aut elatum ſit; ut ad excipiendum ſanctiſſimum Sacramentum, ſcabello opus ſit; niſi cum in inſignioribus Eccleſijs a tergo Altaris adſcenditur ad illud e Tabernaculo educendum. Tabernaculi autem clauis aurata; et ſeparata ſit ab alijs clauibus cum funiculo ſerico, auro etiam intexto, ubi fieri poteſt.

De Conopæis illi adhibendis.

De Tabernaculo paruulo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quod ita firmiter cum eius pede cohæreſcat; ut numquam amoueri poſſit: habeatq. lunulam cum ſcuto ſuppoſito ex forma præſcripta.

De duabus ſaltem Pyxidibus, pluribusue pro populi frequentia in unaquaq. parochiali Eccleſia cum ſacculo ſerico habendis.

De una, pluribusue Lampadibus ante ſanctiſſimum Sacramentum collocandis, quæ numquã extinctæ conſpiciãtur.

De uſu Umbellæ tum quadrangularis, et pretioſioris ad contegendam ſacram Euchariſtiam, dum circumfertur; tum rotundæ unico haſtili ſuffultæ per ſemitas, et anguſtos tramites tantum, aut ex urgenti cauſa adhibendæ.

De reliqua ſupellectile ad ſanctiſſimum Sacramentum neceſſaria, ut puta Uelis pro pyxide, et pro ſacerdote eam deferente; Laternis etiam, et Mappis ad uſum ſacræ Communionis; Scabellis oblongis, et uaſis purificationis, ac alijs huiuſmodi.

De ſacris Reliquijs diligenter per Reuerendiſſ. Epiſcopum recognoſcẽdis, ac in Eccleſia loco conſtituto, diſtincte, tuto, decenter, religioſeq. aſſeruandis: quarum clauis una omnino

nino apud Epiſcopum, uel ſi ſit Eccleſia Regularis, ſaltē penes Superiorem generalem, uel Prouincialē: itum de earum monimento conſpicuo loco in Eccleſia; et in Sacriſtia, et Archiuio epiſcopali conſtituendo: itum præterea de illarum religioſa oſtenſione, expoſitione, et tranſlatione, cum luminibus, intortitijsue. Caueat autem Rector quicumque, propoſita pœna excommunicationis latæ ſententiæ, ne ſine licentia Reuerendiſſimi Epiſcopi, aut, ſi Eccleſia ſit regularis, et exempta, proprij Generalis, præter alia de iure requiſita, ullas ſuæ Eccleſiæ ſacras Reliquias, earumue particulas, uel minimas quidem, quouis prætextu cuiquā concedat; tradatue, aut largiatur, ne quidem alteri Eccleſiæ eiuſdem Diœceſis, aut Monaſterio eiuſdem ordinis. Lampas uero una ſaltem ſemper ardeat ante corpora Sanctorum, et ſacras Reliquias inſignes ad præſcriptum.

De nouis Reliquijs, et nouis miraculis non euulgandis, neue eo nomine in ſuis Eccleſijs Altaribus erigendis, uel ornandis; aut uotis, et oblationibus excelſo loco ponendis, etiam a Regularibus, et exemptis ſine Epiſcopi præuia approbatione.

De Indulgentijs item ab eodem recognoſcendis, et probandis, eiusq. auctoritate promulgandis. De ratione item omni ſeruanda in Eccleſijs, et Oratorijs, quibus illæ conceſſæ ſunt, præſertim ad cauendam omnem auaritiam, uel auaritiæ ſuſpicionem; tum in illis oſtendendis, uel promulgandis, tum in apparatu, huiuſmodique.

Propoſita uero ſit eadem pœna excommunicationis Rectori Eccleſiæ, et Superiori, etiam regulari, qui quidquam contra, quam ſupra decretum eſt promulgauerit, euulgaritue.

De

De falſitate, turpitudine, curioſitate, procaciq. laſciuia in ſacris imaginibus cauendis, ac de inſolitis non proponendis: de earum item inſignibus, ornatu, lociq. decentia, ac reliquis eo in genere etiam a Concilio Tridentino præſcriptis obſeruandis, et de ijs emendandis, ſi quæ emendatione indigent: nec non de repræſentationibus etiam, quæ pietatis ſpeciem præ ſe ferant, non faciendis. Quæ omnia, et ſingula ſeruent etiam Regulares; propoſita pœna ſuſpenſionis ipſo facto Rectori Eccleſiæ, etiam regulari, id facienti, uel toleranti, permittentiue.

De Baptiſterio, eiuſq. Sacrario, et loco Eccleſiæ, ubi collocandum eſt. qua in re illud ſeruetur; ut in unaquaq. Eccleſia parochiali Baptiſterium deportetur in locum Decretis viſitationis particularibus illius Eccleſiæ conſtitutum, ſub Cappellam, ſcilicet Niciamue, quæ foras promineat: aut, ubi certus locus, certaue illius forma conſtituta non eſt, in locum Decreto Concilij prouincialis quarti, et Inſtructionum libro de fabrica Eccleſiæ præſcriptum.

Quod ſi Capellam, Niciamue loci ſitus nullo modo patitur, decenti omnino integumento ad eiuſdem Decreti præſcriptum operiatur; habeatque Ciborium; cuius ualuæ ita late aperiantur, ut commode baptizari poſſit; et tuto decenterq. ſacra Olea accommodari. Tabella inſuper intrinſecus ſit, quæ tueatur aquam baptiſmalem a puluere, et ſordibus; Conopæum item exterius; Sacrarium præterea adiunctum, ac ſeptum ferreum, lapideumue, aut ſaltem ligneum, modo id uel Decreto particulari Apoſtolicæ viſitationis eius loci, uel ob inopiam loci Epiſcopi facultate, eaq. ſcripta, non tamen contra Decretum eiuſdem Viſitationis

108

tionis particulare conceſſum ſit. hæcque omnia forma Decretis Concilij prouincialis quarti, et libro Inſtructionum de fabrica Eccleſiæ præſcripta conſtent.

Tranſacto tẽporis ſpatio particulari Decreto Viſitationis cuiuſq. Eccleſiæ præſcripto; aut, ſi præſcriptum non eſt, poſt annum; aut, ſi Cappella fabricanda ſit, poſt biennium; ſi quod Baptiſterium in huiuſmodi formam redactum non erit, in eo neq. baptizetur, neque aqua baptiſmalis aſſeruetur; deferanturq. baptizandi infantes ad aliam uiciniorem Eccleſiam, in qua fons baptiſmalis ſit præſcripta forma, iudicio Reuerendiſſimi Epiſcopi, uel in Diœceſi Vicarij foranei, alteriuſue ab Epiſcopo delegati. nec uero baptizetur ullo modo in his Eccleſijs, ubi fons baptiſmalis nullus eſt.

De uaſis coniunctis pro Oleo ſacro cathecumenorum, et Chriſmatis, ac pro ſale ad uſum baptiſmi adminiſtrandi. de uaſe item ſeparato ab Oleo infirmorum cum ſuis cotylis, et ſacculis e ſerico panno.

De capſula cum uaſis pro Oleis ſacris diſtribuendis, ſi Eccleſia plebana ſit.

De uaſculo pro accipienda aqua baptiſmali a Cathedrali, uel plebana Eccleſia, et Cocleari pro infundenda aqua.

De linteolis duobus mundis in Ciborio, et quattuor certo loco Sacriſtiæ aſſeruandis ad abſtergendum caput baptizatorum. Quæ omnia ex præſcripto libri Inſtructionum præſtentur, et munda, et nitida ſeruentur. Et, ubi tota hæc ſupellex ad Baptiſmi miniſtrationem, uel ſacra Olea ſpectans intra ſex menſes comparata non fuerit; Parochus eo ipſo tribus ſcutatis mulctetur, qui uel opportune non prouidit, uel cum ijs, qui prouidere debebant, non adhibuit,

quam debebat ſolicitudinem, ut prouiderent. ea autem mulcta ſcholæ Corporis Chriſti attributa cenſeatur, qua ſupellex ipſa comparetur. Quod ſi Parochus ipſe eam intra quindecim dies non perſoluerit, pœnam dupli incurrat.

De uaſe ſacri Olei infirmorum cum eius Cotyla, et ſacculo ſerico aſſeruando in feneſtella Eccleſiæ loco conſtituto; etiam a Regularibus.

De Sacrario in Cappella maiori, Sacriſtiaue, aut alio congruo loco uniuſcuiuſque Eccleſiæ, etiam parochialis, præter alterum cum Fonte baptiſmali coniunctum.

De Altarium menſura, ac forma præſcripta. Qua in re cauendum, ne lignea, aut intrinſecus uacua ullo modo ſint.

De contegenda eorum menſa, ſi conſecrata eſt, tela cerata, eaq. telari affixa; uel ſi non eſt conſecrata, tabula lignea, in qua inſeratur petra ſacrata, cuius capſa item lignea tela inſtructa ſit.

De præfinita forma, et menſura Petræ ſacratæ. Decernitur tamen, ut quæ uncijs ad ſummum tribus præſcripta menſura, ſiue latitudine, ſiue longitudine, minores ſunt, ad triennium permittantur: quo tranſacto nulla penitus concedatur, quæ præſcripta menſura non ſit. Quæ uero maiores ſunt, ne poſt ſex menſes in uſum adhibeantur; ſed confringantur ſtatim, aut ſeparentur a capſa ſua; Reliquijs tamen, quæ in eis reperiuntur, decore ſeruatis: idemque, elapſo triennio, de ſupra toleratis permiſſiſue cenſeatur, et præſtetur omnino.

De Mappis tribus, et tela uiridi, uel alio colore ad eas contegendum; deq. Pallio colore pro feſti diei, uel feriæ ratione conuenienti, et eius telari ligneo, cui commode affigatur,

tur; et de Pulainari ad falciendum Miſſale.

De Cruce, Candelabris, Tabella ſecretorum, et reliquo Altarium apparatu, qui in Eccleſijs, quæ frequentantur, quotidie præſtetur: in alijs uero Eccleſijs, feſtis ſaltem diebus, uel etiam, cum fores Eccleſiæ ad publicas ſupplicationes, uel Stationes patent: nec in Altaribus, niſi prius ſic, ut ſupra, conſtructis, et apparatis celebretur.

De Icona, aut etiam pictura in pariete, niſi Chorus ſit inter Altare, et parietem.

De bradella lignea, eiuſque menſura, et tegumento feneſtellæ urceolorum, et Tintinabulo.

De ſepto Altaris ferreo, lapideoue, uel ligneo, ſi id uel Decreto particulari Viſitationis Altaris illius, uel ab Epiſcopo ob Altaris inopiam, ſcripta facultate, non tamen contra particulare Decretum illius Viſitationis conceſſum ſit: quod diſtet a bradella Altaris ita, ut clerico miniſtranti locus ſit intus, ſcilicet ad cubitum unum, et uncias octo, necnon multo amplius, ne difficilius excludantur audientes Miſſam. In Altari tamen maiori diſtabit pro ratione ſitus, ut in Miſſis maioribus commode miniſtrari poßit.

De Altaribus minime congruentibus amouendis. Qua in re illud præſertim præſtetur, ut, ſi quod Altare in Viſitatione nominatim tolli iuſſum eſt, neq. adhuc ſublatum eſt, intra duos menſes tollatur omnino: alioquin, eo termino elapſo, ne liceat Miſſam celebrare in ea Eccleſia, donec Altare ipſum ſublatum non fuerit. Idem decernitur, ſi quod Altare ullo quouis prætextu, iuſſuue, aut permiſſu, ijs ipſis locis reſtituatur; ædificeturue, unde in Viſitatione ſublatum fuerit: idq. præter pœnam, quam ſumere debebit

Epiſcopus, aliuſue Superior, ſi is ab Epiſcopi iuriſdictione exemptus fuerit, de ijs, qui conſtruxerint, curauerintue conſtruendum; et de Rectore item Eccleſiæ, qui idem permiſerit. Licebit tamen Altaria in Cappella foras prominenti ad formam reædificare, quibus de locis alia ſublata ſunt, ſi quod non obſtet impedimentum, utpote Organum, ſuggeſtus, pilæ, oſtij, uel alius Altaris, uel ſepulcri, ianuaue propinquitas; aut non auerſa ſint Altari maiori, et alia huiuſmodi indecentia obſtent.

Altaria maiora, ſiue minora, quæ ſigillatim non iuſſum eſt tolli, ſed tantum ad formam libro Inſtructionum fabricæ Eccleſiæ præſcriptam, conſtructa, inſtructaue non ſunt, ad illam redigantur; et rebus omnibus præſcriptis intra terminum a particulari Decreto Viſitationis conſtitutum, aut, ſi non eſt in eo conſtitutus, intra annum inſtruantur. alioquin, tranſacto eo temporis ſpatio, ne liceat in eis celebrare, donec uere ſatisfactum non ſit. elapſo uero altero anno poſt terminum generatim, uel ſigillatim præſcriptum quæcumque ad formam redacta, inſtructaque, ut ſupra, non erunt, penitus tollantur. Quod ſi intra duas menſes non fiat, ne liceat in ea Eccleſia celebrare, donec re ipſa ſublata non erunt. Liceat tamen deinde ſoli Reuerendiſſimo Epiſcopo concedere iſtorum Altarium ijs ipſis in locis reædificationem, data prius publico inſtrumento idonea cautione, ut ad eam formam, certo temporis ſpatio, quod tamen ſex menſes non excedat, conſtruantur, inſtruanturque; aut, ſi Altari Cappella fornicata ad formam foras penitus prominens adhibenda ſit; quod ubique, quam maxime curandum eſt, ad alterum inſuper annum. Ve-

rumtamen Altaria Eccleſiarum collegiatarum, uel pa=rochialium, et Monialium maiora, quamuis conſtituto temporis ſpatio, ad formam redacta, conſtructaque non erunt, neque ideo tollantur, ſed curet omni ratione, ut ad formam primo quoq. tempore redigantur, et rebus om=nibus ad præſcriptum libri Inſtructionum requiſitis in=ſtruantur. agaturq. a Reuerendiſſimo Epiſcopo ad id mul=ctis, et cenſuris, ac ipſius Eccleſiæ interdicto, et alijs re=medijs, tum in Rectorem Eccleſiæ, tum in illius Syndicos, curatoreſue; pœna tamen Regularium infligatur a Supe=riore regulari.

De Altaribus item nouis deinceps nullo prætextu ædifican=dis, quibus quidquam deſit; quæque præterea non habeant, ad prædictarum Inſtructionum præſcriptum, Calicem, et alia inſtrumenta, indumentaq. et ornamenta ad Miſſam in ijs decore celebrandam neceſſaria, uel idonee de ijs pu=blico Inſtrumento caueatur: de quo Reuerendiſſimo Epi=ſcopo conſtet intra biennium ad ſummum omnino compa=randa eſſe.

De tranſlatione onerum, et emolumentorum Altarium, amotorum. Qua in re ſeruetur, ut Altaria quæcumque hu=ius Viſitationis auctoritate ſublata, amotaue, ſi hacte=nus ad certum aliud Altare in perpetuum tranſlata non ſunt, eorum tituli, onera iura, et emolumenta quam=primum a Reuerendiſſimo Epiſcopo; aut ſi Eccleſia regu=laris ſit, a Superiore generali, uel particulari, niſi in Viſi=tatione ad aliud Altare ad tempus tranſlata, aſſignata=ue ſint, omnino transferantur. Interim uero illis ſatisfiat in Altari maiori.

Qui

Qui onera legati, fictiue libellarij, uel huiuſmodi, etiam ex conſuetudine tantum, Altaribus huius Viſitationis auctoritate ſublatis, uel in poſterum tollendis, uel in quibus Miſſam celebrari, etiam ad tempus, ſigillatim, uel generatim prohibetur, præſtare debent, perſoluant. item omnino omnibus, et ſingulis ijs oneribus in ijs Altaribus ſatiſfiat, ad quæ legata, onera, iuraue huiuſmodi huius Viſitationis auctoritate iam tranſlata, aſsignataue ſunt, aut in poſterum, etiam auctoritate ordinaria, transferentur, aſsignabunturue, etiam ad certum tempus: ad idque compellatur a Reuerendiſsimo Epiſcopo pœnis, et cenſuris, et omnibus alijs iuris remedijs ſummarie.

Ne uero Altarium iura, et onera, ac piarum uoluntatum executiones, ut eueniſſe compertum eſt, facile depereant; Rectores, Superioreſue quarumcumque Eccleſiarum, et regularium, et exemptarum huius Ciuitatis, et Diœceſis, pœna excommunicationis propoſita, Tabellam intra ſex menſes, aut annum ad ſummum, conficiant, eamque in Sacriſtia affigant; in qua Altarium omnium, quæ in ſingulis eorum Eccleſijs collocata ſunt, tituli, iura, emolumenta, onera etiam anniuerſariorum, aut commemorationum pro mortuis, tranſlationes, mutationes, additiones, diminutioneſq. ſi quæ ſunt, recto ordine ſigillatim diſtribuantur; tum dies, quibus ſingula præſtari oporteat; eiuſdemque Tabulæ exemplar deſcriptum ſub eadem pœna Reuerendiſsimo Epiſcopo tradant; qui ea omnia, et ſingula in librum certum, et perpetuum in Archiuio Epiſcopali aſſeruandum diligenter, anni ſpatio ad ſummum, curet deſcribendum.

Si

Si quæ Altaria deinceps conſtruentur, in eadem Tabella item adnotentur cum facultate conſtructionis, eorumque titulis, iuribus, emolumentis, oneribus: atque trium menſium a die abſolutæ conſtructionis ſpatio, ea omnia Cancellario Epiſcopali ſcripto denuncient, qui ea in prædictum librum referat.

Si quæ etiam in poſterum tranſlationes, commutationes, reductioneſue fient: aut etiam, ſi quid oneris, uel emolumenti ex legato, uel alio nomine eiſdem Altaribus acceſſerit, ab iiſdem Rectoribus, Superioribuſue ad tres menſes a die, quo prædicta præſtita fuerint, reliquis in eadem tabella annotatis addant: Cancellarioq. Epiſcopali, ut ſupra denuncient, propoſita eadem excommunicationis pœna.

De uno, pluribuſue Confeſſionalibus adhibendis pro populi, et ſacerdotum confeſſariorum frequentia, ad præſcriptum. quod etiam in Eccleſijs regularibus locum habeat.

De forma eiuſdem Confeſſionalis, a quo eleemoſynaria capſula procul ſit; et de Tabellis illic affigendis; et Eccleſiæ loco, ubi collocetur extra Chorum, & Cappellam maiorem, atq. loco ita conſpicuo, iudicio Reuerendiſſimi Epiſcopi, etiam in Eccleſijs Regularium: ut Confeſſarius, et confitens facile conſpici poſſint. elapſo uero anni ſpatio, quibus in Eccleſijs, etiam regularibus, prædicta Confeſſionalia ſupra præſcripta non erunt, confeſſiones audire interdictum ſit, donec conſtructa erunt.

De Suggeſtu decenti, et congruo loco collocando.

De Sacriſtia cum ſuo Oratorio, Lauatorio, et Armarijs; eiuſq. ſupellectile, Tabellis, cultu, et munditia, præſertim in Corporalibus, et Purificatorijs, et alia ſupellectile linea.

De

De ſupellectile eccleſiaſtica omnis generis, et fideli, ac diligenti eius cuſtodia.

Quæcumque autem de Altarium, Oratoriorum, Cappellarum, Eccleſiarum, earumque Cæmiteriorum, Sacriſtiarum, Sepulturarum, uaſorum, locorumque ac loculorum ad ſacras Reliquias aſſeruandas, Confeſſionalium item, et indumentorum ſacrorum, ac alius cuiuſcumque ſupellectilis, et apparatus eccleſiaſtici, ſtructura, forma, et ornatu Decretis huius Viſitationis generalibus, uel particularibus conſtituta ſunt, etiam in Eccleſijs regularibus, et exemptis ea omnia, et ſingula ex præſcripto libri prædicti Inſtructionum fabricæ, et ſupellectilis eccleſiaſticæ ad uſum huius prouinciæ Mediolanenſis editi præſtentur. Qui quidem liber in uniuſcuiuſque Eccleſiæ, etiam regularis, et exemptæ Sacriſtia loco conſpicuo intra duos menſes collocetur, ac perpetuo aſſeruetur catenula appenſus: et, quæ in eo ſunt ſæpe legantur, ut executionem meliorem habeant. Idem præſtetur de exemplo Decretorum particularium uniuſcuiuſque Eccleſiæ, et Sacriſtiæ, ac etiam de exemplo libelli iſtius Decretorum generalium huius Viſitationis Brixienſis Eccleſiæ.

De ſtrepitu, e Sacriſtia profligando; omniq. profana conuerſatione, iocis, nugis, ac colloquijs, etiam clericorum, in quibus abuſibus eradicandis, non leuem operam ponat Reuerendiſſimus Epiſcopus.

De Tabella etiam Confeſſorum, uel Indice in foribus Sacriſtiæ affigendo, etiam a Regularibus.

De laicis in Sacriſtiam, et Chorum non admittendis, propoſita pœna arbitrio Reuerendiſſimi Epiſcopi ingredientibus,

ijs,

ijs uero, qui admiſerint, a ſuo Superiori eccleſiaſtico.
Reliqua etiam ex Decretis prouincialibus conſtituta ad Eccleſiarum, et Altarium, locorum, rerumq. ſacrarum, ac Sacriſtiæ decorem, reuerentiam, et cultum, populique diſciplinam huiuſmodi loca conueniendo, atque uerſando, diuinisq. officijs adſiſtendo ſpectant, diligenti in primis cura, tum Rectorum Eccleſiæ, et Regularium, tum Vicariorum foraneorum Diœceſis, tum Reuerendiſsimi Epiſcopi, eiusq. Viſitatorum zelo, et ſolicitudine præſtentur, atq. in his, quæ infra ſummatim enumerantur.

De Scholis profanis in Eccleſia non exercendis.

De tranſitu, et aſportationibus profanis per Eccleſiam, et Oratoria remouendis.

De Concilijs, uniuerſitatum, et negotiationibus repellendis.

De cadaueribus occiſorum a Iudicibus, Notarijsue maleficiorum in Eccleſijs non inſpiciendis; et iudicijs ſecularibus, ac inquiſitionibus ibidem non exercendis.

De capite mulierum uelando in Eccleſia, et proceſsionibus: utque fœminis nullo tempore Chorum, Sacriſtiamue, aut ſepta Altarium ingredi liceat, etiam intra Eccleſias Regularium, pœna interdicti propoſita ipſis mulieribus, et ſuſpenſionis arbitrio Epiſcopi ab ordinum executione ſacerdoti, clericoue, etiam regulari, qui introduxerit, aut admiſerit, permiſeritue.

De diſtinctione uirorum a mulieribus in Eccleſijs; et proprijs oſtijs aſsignandis: quo in genere licebit tamen, ſi ita magis Epiſcopus cenſuerit, uſum huius Diœceſis frequentiorem ſeruare diuidendi ex tranſuerſo Eccleſiã; quamuis diuiſio in longitudinem magis accommodata ſit, et magis ex ueteri Eccleſiæ uſu.

De diligentia adhibenda à Capitulis, Collegijs ac Rectoribus
et Superioribus, ac alijs etiam inferioribus miniſtris Eccle-
ſiarum, etiam regularium, ad præſcriptum Conſtitutionis
Pij Quinti; propoſitis pœnis ex eadem Conſtitutione, etiã
ipſis Rectoribus, et miniſtris; ne quis tempore diuinorum
officiorum, ac prædicationis in eis audeat deambulare, nu-
gari, circulos habere; negotijs operam dare, cum mulieri-
bus, de quibus eſt ſuſpicio, colloqui; Altaribus, uel uaſis
aquæ benedictæ adhærere, in limine aut ante fores immo-
rari; auerſus a ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ir-
reuerẽter ſedere; aut in Miſſa, cum genuflectendum eſt, ſta-
re, aut diuina officia perturbare, irreuerenterue in Eccle-
ſia uerſari; aut uenale aliquod proponere; cum canibus ue-
naticis, uel uolucribus in eam ingredi; haſtam uel ſclopos,
baliſtas, aliaue eiuſdem generis in eam inferre; aut, ſi men-
dicus eſt, in ea uagari, eleemoſynasue quæritare: eam
autem præſcriptam diligentiam, propoſitis iiſdem pœnis,
præſtent Rectores, et Superiores Eccleſiarum, earumq; in-
feriores, etiam in alijs, quæcumq; iis Decretis iuſſa ſunt ſer-
uari pro recta, et religioſa ratione, qua Populus in Eccle-
ſijs uerſari debet, nihilq; contra agere.

De arcendis ab Eccleſia, et ad Reuerendiſſimum Epiſcopum
deferendis ijs, qui moniti parere contempſerint, ut ab eo
puniantur, ad præſcriptum etiam conſtitutionis illius Pij
Quinti;

De excubijs, et pernoctationibus in eis, etiam ſi Regularium
ſint; aut earum foribus non faciendis.

De exſulibus, damnatis, et criminoſis, Eccleſijs, uel locis ſacris
non recipiendis, uel, ſi ad ea loca confugiunt, Ordinario
ſtatim

ſtatim denunciandis, etiam a Regularibus, pæna excommunicationis propoſita.

De profanis non appendendis in Eccleſia, etiam Regularium; neq. rebus uenalibus in Eccleſijs, etiam regularibus, earumue Cæmiterijs, atrijs, porticibus, foribusque.

De Vmbellarum, quæ ſuper Altaria ſunt; ſacrarum tabularum, imaginum, parietum, et feneſtrarum, ac pauimenti Eccleſiæ, et Oratoriorum perpetuo nitore.

De cedulis profanis non affigendis, neque etiam ſuper ianuis, porticibuſue exterioribus.

De uaſe aquæ benedictæ non foris, ſed in Eccleſia ſtatuendo, transferendoue cum aſpergillo e ſtris inde appenſo.

De remotione ſordium, frugum, ſupellectilisue profanæ, lignorum, lapidum, cæmentariorum, et aliorum huiuſmodi ab Eccleſijs, Oratorijs, eorumq. parietibus; et perpetua intus, et foris eorum munditia.

De capſulis eleemoſynæ colligendæ cauſſa in Eccleſijs ſine ſcripta Epiſcopi facultate non exponendis, atque tum duplici claue cuſtodiendis.

De ijſdem ita prope Altaria non collocandis, ne offerentibus ſepta ingredi neceſſe ſit.

De bradellis mulierum tollendis. qua in re præſtetur, ut, ſi quæ bradellæ adhuc in Eccleſijs, etiam regularium, ſunt, intra octo dies omnino tollantur. Nec ullæ umquam quouis nomine, præterquam clariſſimorum Rectorum, in poſterum collocentur: alioquin ne Miſſam celebrari liceat in illis Eccleſijs, donec bradellæ ipſæ ſublatæ erunt. Licebit tamen conceſſu Reuerendiſſimi Epiſcopi communes aliquas, easq. ſimplices ad formam libro Instructionum præſcriptam in

Eccleſijs conſtitui, adhibitis etiam a tergo ſedentium longurijs ligneis; ſi ita in aliquibus Reuerendiſsimo Epiſcopo uidebitur.

De frugibus, lignis, et alia ſupellectile profana in Eccleſijs et Oratorijs non ſeruandis.

De inſignibus bellicis, uexillis profanis, et armis in Eccleſia non ſuſpendendis; et ſepulturis, depoſitisue e terra eminentibus non conſtruendis. alioquin ne celebretur in illis Eccleſijs, etiam regularibus, donec hæc uetita inde ſublata non erunt.

De Campanis, et alijs fabrilibus in Eccleſia non conficiendis, niſi quæ eidem eccleſiæ uſui ſunt, et alibi fieri commode non poſſunt.

De ludo pilæ, et ſtrepitibus procul a foribus, et porticibus Eccleſiæ, præſertim tēpore diuinorum officiorum, repellendis.

De conſecrandis collegiatis, et parochialibus Eccleſijs, Altaribusq. earum maioribus; earumq. conſecrationum monumēto in Eccleſia, Sacriſtia, et Archiuio epiſcopali aſſeruādo.

De Campanis in turrim Campanilē ante Epiſcopalem benedictionem non ſuſtollendis; et Crucibus, Veſtibus, indumentisque ad diuini cultus uſum ante benedictionem non adhibendis. De ſacris etiam imaginibus benedicendis.

De Campanarum uſu ad ſignificationem ſupplicij de reo ſumendi non adhibendo.

De ſepulturis item conſtruendis. quo in genere illud etiam præſtetur; ut quæ iam ſunt, quarum uel os a bradella, tribus cubitis non diſtat, uel fouea ſitum bradellæ ſubiectum tangit, tribus menſibus, aut humo impleantur, aut ita aptentur, ut neq. os bradellæ tribus cubitis propius ſit, neq.

ſouea bradellæ locum pertingat. alioquin niſi intra tres mē-ſes ad præſcriptum amotæ, uel humo oppletæ fuerint, ac cum reliquo pauimento adæquatæ, eo ſpatio elapſo, in illis Altaribus, ne celebretur, donec id præſtitum erit: annoque uno elapſo, ſi non adhuc obtemperatum fuerit, Altaria ipſa tollantur omnino. Idque omne locum habeat etiam in Eccleſijs Regularium.

Quæ uero Sepulcra marmore, uel petra ſolida adeo tecta non ſunt, ut nullum omnino fætorem emittant, intra ſex menſes aut ad formam præſcriptam tegantur, aut humo adæquata ſolo oppleantur: et nemo in illis deinceps ſepeliatur, propoſita pœna interdicti Eccleſiæ, etiam ſi illa regularis ſit.

De cautione, et ratione omni adhibenda in nouis ſepulturis ædificandis: ac inter alia, ne locus ſepulturæ ædificandæ cuiquam in poſterum in Eccleſijs, uel Oratorijs, etiam Regularium ſine conceſſu Epiſcopi, aut Superioris regularis prouincialis, uel generalis, nec uero ullo modo detur, niſi extra Chorum, et Cappellam maiorem.

De ſepulturis Canonicorum, Parochorum, et aliorum Clericorum.

De corpore defuncti ſepulturæ perpetuæ tradito ſine Epiſcopali facultate non aſportando.

De locis ſupra Eccleſias, Cappellas, et Oratoria, etiam Regularium, non tolerandis. quod ſi inhabitantur, ne in Oratorijs, Cappellisue, ſuper quas ſint, poſt menſem celebretur, donec ea loca omnino amota fuerint, aut ſaltem amota habitatione omni, et profanitate ad uſum ſpiritualium officiorum tantum redacta ſint; utpote in Oratorium,

etiam

etiam Confratriarum, uel huiuſmodi.

De feneſtris priuatorum introſpectantibus in Eccleſias nullo modo permittendis.

De feneſtris inferioribus, unde foris, et a uia, locoue publico Miſſa auditur, et Sacerdos celebrans in Eccleſia, Oratorioue, etiam Regularium introſpectatur, obſtruendis: atque deinceps in eis celebrari non liceat, antequam feneſtræ muro obſtructæ penitus non ſint.

De officinis, aut tabernis adhærentibus, aut uicinis procul remouendis.

De domicilijs fœminarum infamium procul ab Eccleſia arcendis.

De Cœmiterijs omnino claudendis, quæ non pariete, aut ſi ita ab Epiſcopo, uel Viſitationis Decreto particulari conceſſum erit, ſepe, aliaue ratione, ſi quod intra annum non ita clauſum ſit; nec in eo; nec uero etiam in eius Eccleſia, etiam regulari, ſepeliatur; quoad Cœmiterium ad præſcriptam formam redactum, clauſumque non fuerit.

Ne item in eo Cœmiterio ſepeliatur, in quo uites, aut arbores, etiam infrugiferæ erunt.

De Cruce item in Cœmiterijs firmiter erigenda, etiam in triuijs, et ubi Eccleſiæ, Oratoriaue ſublata ſunt.

De lignis, paleis, et alijs huiuſmodi, ac omni uſu, opereque profano a Cœmiterijs tollendis.

De Eccleſijs, et Oratorijs certis horis claudendis ac aperiendis: et earum clauibus aſſeruandis.

De ratione adhibenda in Eccleſijs, et Altaribus, et Cœmiterijs profanandis, ſi quando legitima facultate id fieri contingat.

De

De ſacra Chriſti Domini Crucifixi imagine pro adoratione in Paraſceue non proponenda; et pulſatione campanarum Sabbato ſancto, niſi poſtquam in Eccleſia primaria id præſtitum ſit: quæ etiam à Regularibus ſeruentur.

De Inuentario triplici bonorum, et iurium Eccleſiaſticorum, et Archiuio conficiendo: et de eius cuſtodia, et recognitione in Viſitatione.

De bonis Eccleſiaſticis propinquis ſanguine non locandis, nec patronis, ceßionarijs, aut cum illis coniunctis, et capitularibus perſonis, uel eis coniunctis, ſi bona capitularia ſunt.

De ſtatuendo ſpatio unius, uel duorum menſium exhibendo prætendentibus exemptionem a decimis, quo ſpatio elapſo, ſi legitime non docuerint, compellantur ad ſoluendum, Reuerendißimus autem Epiſcopus, ſeu eius Vicarius, una cum Canonico a Capitulo, et altero de Clero ab ipſo Epiſcopo quamprimum deligendo, locationes rerum Eccleſiaſticarum; quas ad longum tempus, ſeu, ut in nonnullis regionibus, ad uiginti nouem annos, aut perpetuo ficti perpetui nomine uocant, factas, etiam ex Officio recognoſcat; ac illas, quas contra canonicas Sanctiones, et in damnum Eccleſiæ contractas fuiſſe repererint, ex Concilij Tridentini, et Prouincialium præſcripto irritas declaret.

De ſcripturis, et iuribus Eccleſiæ, Clerico moriente, uel mortuo, ſeruandis ad uſum Eccleſiæ, atque ab heredibus etiam Eccleſiæ ipſi tradendis.

De cura, et ratione omni adhibenda in fructibus beneficiorum, quæ uacarunt, et uſurpatione omni patronorum ſenere coercenda.

De promulgatione Decretorum pro bonis, et iuribus locorum

piorum

piorum, et Eccleſiaſticarum non occupandis.

De Plebibus in priſtinum ſtatum reſtituendis arbitrio, et iudicio Reuerendiſsimi Epiſcopi.

Vbi Decreto cuiusq. Eccleſiæ ſigillatim ſpatium temporis, quo quidquam præſtandum eſt, conſtituitur, id ſeruetur omnino; alioquin ſpatium in Decretis generalibus conſtitutum locum habeat.

DE POPVLO.

VOta, quæ adflictiſsimo peſtis tempore Ciuitas hæc ſub potenti Domini manu attrita emiſit, Reuerendiſsimi Epiſcopi, Clariſsimorum Rectorum, ac etiã Magnificorum Deputatorum Ciuitatis pia ſolicitudine, et ſtudio præſtentur omnino, et præſertim de profligandis litibus, et controuerſijs, unde in hanc Ciuitatẽ profluunt tot periuria, fraudes, õdia, diſſenſiones, et homicidia frequentiſsima ciuium, et familiarum ruinæ, ut compertum eſt.

Itẽ de eijciẽdis lenonibus, et perſtringẽdis in remotiori parte Ciuitatis meretricibus; et conſtruẽda domo, ubi excipiantur ſenes mendicantes; ac deniq. de profligandis quibuſcumque peccatis, et eorum occaſionibus, præſertim uero publicis, et grauioribus.

Quæ uero Decreta prouincialia, diœceſanaue, atque in primis Tridentini Concilij, et huius Viſitationis eiuſdem populi potiſsimum ſtudium in executione poſtulant, in ijs præſtãdis eam uoluntatem præſeferant, quã in Viſitatione Illuſtriſs. D. Viſitatori perpetuo ſtudio oſtẽderunt, atq. inter alia exequantur capita, quæ infra ſummatim enumerãtur.

De

De ſtudio in commercio hæreticorum euitando.

De populi præparatione ad audiendum uerbum Dei, et frequentia eius in propria Parochia.

De frequentia item ad Scholas doctrinæ Chriſtianæ.

De doctrina Chriſtiana a Ludimagiſtris docenda; et euitandis libris profanis, et obſcenis, alieniſq. a religione; et cura item ſpirituali diſcipulorum, præſertim diebus feſtis, habenda.

De cura diligenti patrumfamilias in ſua familia pie inſtituenda; et preſertim, ut filij, et ſerui etiam, qui in paſcendis gregibus in montibus occupantur, diebus feſtis Miſſam audiant, et in doctrina Chriſtiana erudiantur; multominius quiſquam in familia impediatur a frequenti communione, ſacris concionibus, et alijs officijs pietatis.

De cura ſpirituali, et a dominis officinarum erga operarios præſtanda.

De retinendo, et augendo ueſpertinæ orationis inſtituto.

De integro, ſancto, et religioſo cultu dierum feſtorum, reiectis omnino nundinis, mercatibus, choreis, ludis, ſpectaculis, circulatoribus; et alijs rebus illorum dierum ſanctitate, et fine, ad quē inſtitutæ ſunt, indignis, conſtituta pœna interdicti ingreſſu Eccleſiæ ipſo facto incurrenda; et alia grauior etiam Reuerendiſsimi Epiſcopi arbitratu propoſita ſit, ſi umquam deinceps die feſto Patronorum ſanctorum Fauſtini, et Iouitæ, aut Patroni cuiuſque loci torneamenta, uel alia ſpectacula publica exhibeantur, quacumque auctoritate, iuſſu, permiſſuue. quæ pœnæ, et cenſuræ locum habeant et in ijs, qui iuſſerint, facultatemue dederint; et in ijs, qui ipſa torneamenta, ſpectaculaue exercuerint.

De non recedendo a Miſſa diebus feſtis, antequā ſacerdos eam integre abſoluerit; et de reliquis pijs actionibus, et ſacris occupationibus fidelium ſuſcipiēdis illis diebus Deo dicatis.

De obſeruantia, et diſciplina tempore Quadrageſimæ.

De modeſtia exteriori, et ueſtitu humili accedentium ad Sacramēta ſuſcipienda; et habitu, quo fideles Miſſæ interſint.

De reuerentia in ſacris locis, et diſciplina omni populi, dum in Eccleſia uerſatur.

De pietate, et diſciplina, oblationibus, et proceſſionibus, ac ſupplicationibus.

De obuiatione, et aſſociatione ſanctiſſimæ Euchariſtie a frequentiſſimo populo, cum ad infirmos defertur.

De reuerentia, et obedientia erga ſacerdotes, præſertim erga ſuos Parochos, et Reuerendiſſimum Epiſcopum.

De decimis, et primitijs ſincere, et ſine fraude perſoluendis ab his, qui debent Eccleſiæ; et cauenda omni alia uſurpatione iurium eccleſiaſticorum, et uiolatione eccleſiaſticæ immunitatis, et libertatis una cum cenſuris, quæ propoſitæ ſunt eiuſmodi uſurpatoribus, et uiolatoribus.

De eccleſiaſticis miniſterijs, functionibus, et officijs non attingendis a laicis hominibus; ne quando eam ob cauſam incidant in terribile Dei iudicium Ozæ, et regis Oziæ exemplo.

De recta ratione celebrandi ſancte Matrimonium.

De uſuris ex depoſito, et mutuo non accipiendis; alijsque contractibus, qui ut ſapientes uſuram, alioue nomine uetiti ſunt in primo Concilio prouinciali.

Nec uero fiant contractus, qui emptionis, ſeu libellarij dicuntur; ubi emptor infra certum tempus retrouendere teneatur

neatur; et interim locationis nomine aliquid certum; ſeu tantumdem pro centenario habeat a uenditore, qui, eo elapſo termino, ad redimendum cogatur.

Si qui uero contractus contra eiuſdem Concilij prouincialis præſcriptum iam facti ſunt, irriti, et inanes iam nunc declarantur.

Quos uero contractus, licet ex eorum forma ſcripti nomine uſurarum cenſeri non poßint, nihilominus ex propoſito, et intentione contrahentium eandem rationem habere cognoſcent Parochi, aliiue ſacerdotes confeſſarij, meminerint de ijs idem ius eſſe in foro conſcientiæ; atq. ideo non admittendos ad Sacramentum pænitentiæ, ac neq. Euchariſtiæ, eos ſcilicet, qui hac uia quidquam conſecuti ſunt, niſi contractus eiuſmodi a ſe factos irritent, et reſcindant; ac uſuras, etiam locationis, alteriusue tituli nomine, exactas, reſtituant.

Tabelliones, qui deinceps prohibitos eiuſmodi contractus celebrarint, pænis a iure ſtatutis, et eccleſiaſticis cenſuris coërceantur, ad eiuſdem Concilij præſcriptum.

DE LOCIS PIIS.

DE locorum piorum, atq. Eccleſiarum debitoribus pro earum procuratoribus, adminiſtratoribusue non eligendis.

De cauenda diuturnitate procuratorum, et miniſtrorum inferiorum.

De ſacris precibus principio, et fine Congregationis adminiſtratorum fundendis.

De libro ordinationum capitularium, et earum lectione in

Capitulo, congregationeue, ac ſubſcriptione ſine mora.

De his, quæ in ſingulis Capitulis, et Congregationibus proponuntur, etiam ſi reijciantur, et alijs etiam actis in certo libro deſcribendis.

De origine, inſtituto, tituloue pij loci, cum primum, erigitur, in tabula ærea, marmore, lapideue litteris exprimendis, et loco illuſtri ædificationis eius collocandis. quod etiam præſtetur in pijs locis iam inſtitutis, ubi commode fieri poßit.

De libro, in quo ſingula legata, et onera deſcripta ſint; et de eius exemplo in Archiuium Epiſcopale deferendo.

De tabella item breuiore onerum in loco Capituli affigenda.

De denunciandis legatis pijs locis, et Eccleſijs relictis a Notarijs. quæ etiam a Rectoribus Eccleſiarum, et piorum locorum Reuerendißimo Epiſcopo denuncientur intra duos menſes, ubi primum ipſi nouerint, propoſita pœna, etiam excommunicationis, arbitrio Reuerendißimi Epiſcopi.

De inuentario bonorum omnium immobilium conficiendo; et exemplo auctoritate publici Notarij munito in Archiuium Epiſcopale intra annum deferendo.

De iiſdem bonis, cum locanda ſunt, publice proponendis; ijsq. neq. debitoribus, deputatis, procuratoribusue, neq. eorum filijs, propinquiſue locandis.

De idonea fideiußione a conductoribus bonorum præſtanda.

De bonis quorumcumq. locorum piorum non alienandis, niſi ſeruatis, quæ a ſacris Canonibus requiruntur. qui uero ſecius fecerint, pœnam excommunicationis ipſo facto ſubeant. quæ autem alienationes ſine ſanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate factæ ſunt, ad Concilij, et ſacrorum Canonum

præſcriptum

præſcriptum ab ipſo Epiſcopo recognoſcantur, qui agat, deliberet, et decidat, prout iuris fuerit, atque Eccleſiæ, piorumue locorum utilitas poſtulabit.

De rationibus adminiſtrationis fabricæ cuiuſuis Eccleſiæ, Hoſpitalis, eleemoſynæ, Montis pietatis, Scholæ, Charitatis, Miſericordiæ, Conſortij, Sodalitatis, Confratriæ, et quorumcumq. locorum piorum, etiam ſi mere laicalia, aut priuata ſint, ad præſcriptum ſacrorum Canonum, et Concilij Tridentini ſingulis annis a Rectoribus, et eiuſmodi locorum adminiſtratoribus tam eccleſiaſticis, quam laicis, Reuerendiſſimo Epiſcopo, aut alij ab eodem ad id conſtituto reddendis.

De hoſpitalitatis inſtituto omnino retinendo in his locis, in quibus ex fundatione, uſu, aliaue ratione exerceri debet.

De cura tum corporali, tum etiam ſpirituali pauperum, et ægrotorum in Hoſpitalibus habenda.

De oratione matutina, et ueſpertina ab ijs, qui in Hoſpitalia recipiuntur, habenda: et de ijſdem in Chriſtiana inſtitutione exercendis.

De ſeparatione marium a fœminis.

De precibus ab his, qui eleemoſynas, aliquidue ſubſidij a pijs locis, alijſue conſequuntur, pro animabus eorum, qui ea reliquerunt, recitandis.

De pecunijs Montis pietatis, Communitati, uel alij mutuo non dandis aliter, quã eius inſtitutum poſtulat, conſtituta pœna excommunicationis Curatoribus ipſis, Deputatiſue: qui etiam ne quidquam ultra ſortem accipiant, propoſita eadem pœna, niſi facultate a ſancta Sede Apoſtolica impetrata.

De pijs Scholis, Confratrijſue non inſtituendis ſine Epiſcopi, aut Sedis Apoſtolicæ auctoritate; eaque ſcriptæ; aut ſi iam inſtitutæ ſunt, habitu Collegij ſine eadem facultate non induendo.

De Regulis ad uſum communem huius Mediolanenſis prouintiæ editis à Scholis diſciplinatorum habendis, obſeruandiſque.

De regulis, libris, conſtitutionibus, et orationibus cuiuſuis Scholæ, ſodalitatisue ab Epiſcopo recognoſcendis: et Regulis a Reuerendiſſimo Epiſcopo iis Scholis, quæ approbatas aliquas non habent, tradendis: alijs uero libris omnino abrogatis, ſublatisque.

De libris ſingulis uulgari ſermone conſcriptis Epiſcopi recognitione, et ſubſcriptione probandis antequam in ulla Confratria, uel Schola legantur, uel retineantur.

De ignorantibus Chriſtianam doctrinam, uel facinoroſis, uel infamia notatis, in Scholarium numero non adſcribẽdis: et, ſi qui inter eos iam numerantur, corrigendis, uel amouendis.

De amictu Confratriæ non induendo, niſi ante a ſacerdote benedictus ſit.

De colloquijs inter confratres ad fidei dogmata pertinentibus, et alijs tractationibus, et collocutionibus, quæ laicis hominibus non conueniunt, Reuerendiſſimi Epiſcopi iudicio, et ſtudioſa cura cauendis.

De officijs a Confratribus cuiuſuis generis, dum ueſpertinum officium in cathedrali, parochialiue Eccleſia celebratur, in eorum Oratorijs non recitandis: ne ipſi, alijue ea occaſione a publicis diuinis officijs, aut a Scholis doctrinæ Chriſtianæ auocentur.

De proceſſionibus, et ſupplicationibus huiuſmodi Confratrum, duce ſacerdote, ſemper celebrandis; niſi Reuerendiſſimus Epiſcopus, uel Parochus, aut alius, cui Epiſcopus id curæ dederit, ſecus aliquando iuſſerit, conceſſeritue.

De ſepeliendi in Eccleſijs, Oratorijs, ſepulcriſue Confratrum, et Scholarum facultate. Onus autẽ certã pecuniam, aliquidue aliud perſoluendi, cum quis in Scholarium numero adſcribitur, aut in Capitulum recipitur, tollatur omnino, propoſita pœna priuationis conſortij, tam perſoluentibus, quã exigentibus, ac grauioribus, etiam pœnis arbitrio Reuerendiſſimi ordinarij. aliquid tamen a ſponte offerenti non uetatur.

De eleemoſynis a Confratribus ſine Epiſcopi licẽtia ſcripta non quæritandis. ſi quid autem eleemoſyne Scholaribus, Confratribuſue collegiatim exequias proſequentibus datur, non Scholaribus ipſis, ſed earum Scholis acquiſitum eſſe decernitur; saluo ſemper parochiali iure.

De ſeruandis in quæritandis eleemoſynis; ut ſcilicet, qui eas colligit, notus ſit, et bonæ exiſtimationis; neque ex pacto eleemoſyne partem habeat; ſed gratis illud officium, uel conſtituta mercede, exequatur, et ex facultate Epiſcopi ſcripta. nec uero is utatur campanulis, alijſue eius generis inſtrumẽtis, neque ueſtitu heremitico, neque demum alia agat contra præſcripta Congregationis Illuſtriſſimorum Interpretum ſacri Concilij Tridentini. nec etiam elemoſynæ illæ collectæ in alium uſum, quam illius loci, cuius nomine petitæ fuerunt, conuertantur.

Neque uero Epiſcopus quemquam ueſtitu heremitico, uel eiuſmodi religioſo Eccleſiarum, Oratoriorumue quorumcumq.

curatorem ſuſcipere permittat, niſi probatiſſimum fide, et moribus, neque abſque eius ſcripta facultate, eaque ſæpius renouanda.

De comeſſationibus, refectionibuſue a Sodalibus, neque in Oratorijs, domibuſue annexis, etiam eorum priuatis impenſis, nec uero etiam alibi impenſis Scholæ quouis prætextu, ſpecieue nullo modo habendis.

De Scholis, et confratrijs in Eccleſijs Regularium ab Epiſcopo uiſitandis, et earum adminiſtrationibus ab eodem recognoſcendis.

De eleemoſynis, quæ ex legato, alioue iure pauperibus, uel alijs debentur, alijſq. pijs relictis in alium uſum, etiã pium, non conuertendis ſine legitima facultate.

De ratione ſeruanda, qua Epiſcopo conſtet ſatisfactum eſſe diſtributionibus, quæ ex ultima uoluntate, conſuetudine, aliaue quauis ratione debentur: tum uero etiam quæ pauperibus tãtum eroganda ſunt, uere illis tantum eſſe data. qui uero, poſtquam a Reuerendiſſimo Epiſcopo admonitus fuerit, aliter diſtribuerit, uel diſtribuere mandarit, tamdiu Eccleſiæ ingreſſu interdictus ſit, quamdiu iiſdem pauperibus totidem de ſuo reſtituerit: niſi legitime coram eodem Epiſcopo probarit, alijs etiam, quam pauperibus, diſtribuenda eſſe.

Ut autem quæ hic breuiter, ad Concilij prouincialis Decreta reijciendo, perſtricta ſunt, et alia etiam conſtituta de Scholis, et locis pijs fuſius habeantur, et facilius in uſum inducantur; Reuerendiſſ. Epiſcopus non modo hæc, uerum etiam quæcumq. in Concilio Tridentino, et prouinciali ad Scholas, et loca pia pertinent, in libellum colligenda, uerum etiã

ſermone

ſermone primo ad uſum rudiorum edenda curabit, quæ quidem in Archiuio, aut alio tuto loco uniuſcuiuſq. Scholæ, et locis pijs a Confratribus cuiuſuis Scholæ, et a piorumlocorum Adminiſtratoribus habeantur, obſeruenturque; atq. ex eis unum, uel duo, pluraue capita illarum partium, quæ pro perſonarum, ac Scholarum, et locorum piorum ratione Reuerendiſſimi Epiſcopi iudicio magis accommodata uidebuntur, in ſingulis Capitulis, et conuentibus eorundem Adminiſtratorum perlegantur.

In anniuerſaria uero Præfectorum Adminiſtratarumue et munerum mutatione, confirmationeue, omnibus in Capitulo præſentibus, ea omnia, et ſingula Decreta perlegantur, prout Epiſcopus expedire exiſtimarit.

DE REGVLARIBVS.

Quæcumque primo Concilio prouinciali Mediolani, et litteris Pij Quinti ſummi Pontificis poſt ipſum Concilium prouinciale impreſſis dat. die VI. Iun. M D LXVI. ad Regulares etiam, et exemptos, eorumue Eccleſias pertinere, ab ipſisq. ſeruari debere ſancita ſunt, ea omnia, et ſingula ab ijſdem item ſeruentur omnino; ut etiam S. D. N. Gregorij litteris ad Illuſtriſſimum Viſitatorem datis præſtari debere declaratum eſt, priuilegijs quorumcumque Regularium, etiã exemptorum, non obſtantibus: prætereà quæcumq. Decretis generalibus huius Viſitationis conſtituta ſunt ſub titulo de Eccleſijs, et earum cultu, etiam ubi nulla in ijs mentio fit Regularium, uel exemptorum, ea in quibuſcumq. Eccleſijs, Altaribus, et Sacriſtijs etiam Regu-

 larium,

larium, et exemplorum quorumcumq. locum habere omnino, ab iſque omnibus, et ſingulis præſtari decernitur.
Quæcumque item alijs Decretis generalibus ſancita ſunt, quibus aut ſigillatim, aut, etſi non ſigillatim hoc caueatur, ea tamen ad Regulares etiam, aut ad eorum Eccleſias pertinere, et ad ſanctiſſimam Euchariſtiam, et ſacras Sanctorum Reliquias, et ſacra Olea, tuto, decore, et religioſe aſſeruanda; uel ad Eccleſias, uel ad Altaria, Cappellas, et Sacriſtias, earumue cultum, nitorem, ornatum, inſtructionem, apparatum, eiuſque ſupellectilem, atque ad Miſſæ celebrationem, uerbi Dei prædicationem, et ſacramenti Pænitentiæ adminiſtrationem quouiſmodo ſpectare uidentur.

Seruentur præterea ab iiſdem diligenter libelli Inſtructionum de fabrica Eccleſiæ, et ſupellectile Eccleſiaſtica, ac de Concionatoribus ad huius Mediolanenſis prouinciæ uſum Metropolitani cura editi.
Regularis, quicumq. etiam exemptus, ſiue Superior, ſiue alius huius Apoſtolicæ Viſitationis executionem neglexerit, prætermiſeritue, aut alius in his, quæ tum generatim, uel ſigillatim, Decretiſque, uel generalibus, uel particularibus cuiuſq. Eccleſiæ conſtituta ſunt, quidquam deliquerit, is præter pœnas Decretis ipſis propoſitas, etiam pœnis, et cenſuris, etiam officij, uel iuris ſuffragiorum priuatione, uel carcere, grauioribuſque pro ratione culpæ a Superiore afficiatur. In quo ſi Superiores ipſi negligentes fuerint, aut in contumacia perſeuerauerint, grauiter omnes a Reuerendiſſimo Epiſcopo admoneantur, et corripiantur. qui uero non reſipuerit, ad Illuſtriſſimum Metropolitanum per

eundem deferatur, cui cura erit, ut, uel in executionis huius uiſitationis recognitione per eundē, aut ab eo delegatos ex facultate à ſancta Sede Apoſtolica ſibi data facienda, cuiuſq. culpa coerceatur, et emendetur; aut ad ſanctiſſimum Dominum ſine mora res deferatur, eiuſdemque auctoritate opportunum remedium adhibeatur.

DE MONIALIBVS.

MVlta ſalutariter quidem de Monaſterijs Monialium, ac earum diſciplina in hac Mediolanenſi prouincia ad eam inſtaurandā, retinendam, et augendam primo Mediolanenſi Concilio ſancita ſunt, quæ et Litteris Pij Quinti fæl. rec. dat. die ultimo Auguſti. M. D. L X V. Pontificatus eiuſdem, anno ſexto, in fine eiuſdem Concilij impreſſis, et Declaratione ſanctiſſimi D. N. Gregorij XIII. ad Moniales, etiam Regularibus ſubiectas, et exemptas, pertinere ſancitum eſt; quibus Illuſtriſſimus Viſitator alia quoque addenda cenſuit, quæ tamen ex Litteris ab Apoſtolica Sede ſibi datis, etiam a Monialibus exemptis, atq. Epiſcopo, et Regularibus uiris ſubiectis, ſeruari debent. ea uero cum omnia fere, uel libro Inſtructionum fabricæ, et ſupellectilis eccleſiaſticæ ad uſum Prouinciæ Mediolanenſis edito, uel alijs Concilijs prouincialibus uberius expreſſa contineantur, ideo ſatis eſſe cenſuit hac una Conſtitutione ſtatuere, prout iam decernit huius Apoſtolicæ Viſitationis auctoritate, ut in quibuſcumq. Monialium Monaſterijs, etiam Regularium curæ, et iuriſdictioni ſubiectis, exemptis, ac ab Epiſcopo ſolutis omnino præſtentur,

tum capita ſingula, ut plurimum inde deprompta, infra hic ſummatim ſunt comprehēſa, ſigillatimq. enumerata: quia, uel magis præcipua, aut neceſſaria uiſa ſunt, uel in ijs magis peccari animaduerſum eſt; tum præterea quæcumque alia generatim et Tridentino Concilio, et Synodo prouinciali prima, cæteriſq. ac præterea quæcumque libro Inſtructionum de fabrica Eccleſiæ, eiuſque ſupellectile decreta ſunt, quæ ad Monaſteria, et Eccleſias Monialium, earumq. regimen, Confeſſarios ſacerdotes, Concionatoreſue, Superiores, et Cappellanos, alioſq. Adminiſtratores, Præfectoſue, et miniſtros, et inferiores quoſcumque, et puellas etiā, quæ in Monaſterijs educantur, quouis modo pertinere uidētur. Quæ omnia, et ſingula, ut a Monialibus, et alijs, quorum intereſt, facilius ſciri, et ſine ſumptu plurium librorum in promptu haberi, atque in executionis uſum induci poſſint, ea libello ſimul collecta, explicata, ordineque diſtributa, et ad Monialium, etiam exemptarum, uſum accommodata, ac materna lingua expreſſa, iuſſu, et cura Illuſtriſſimi Viſitatoris edentur.

Qui quidem libellus tum loco tuto in Archiuio a cuiuſcumque Monaſterij Præfecta aſſeruetur una cum particularium Decretorum Monaſterij ſui, eiuſue Eccleſiæ, et Sacriſtiæ in hac Apoſtolica uiſitatione editorum exemplo; tum aliquot eius capita ſingulis hebdomadis in Capitulo, ab aliqua Moniali, cæteris audientibus, perlegantur; ita ut, initio a primo capite facto, ſigillatim ad extremum uſq. procedatur; et rurſus quæ perlecta ſunt, ordine ita repetantur, ut huius lectionis uſus numquam intermittatur.

In anniuerſaria præterea Præfectarum, aliarumue Officia-

lium mutatione, confirmatioque omnibus, item in Capi-tulo præſentibus, ea omnia, et ſingula Decreta ex libello illo perlegantur.

Decernitur inſuper in Eccleſijs, et Sacriſtijs Monialium, etiam exemptarum, quæcumq; de alijs Eccleſijs, et Sacri-ſtijs, etiam Regularium exēptorum, earumq. nitore, cultu, ornatu, et ſupellectile, ac de ſepulturis, Cæmiterijſue Decretis generalibus huius Viſitationis ſancita ſunt, et quid-quid Instructionibus de fabrica Eccleſiæ, et ſupellectile eccleſiaſtica traditum eſt, in Eccleſijs item, et Sacriſtijs Monialium, etiam exemptarum, præſtari debere: ideoq. etiam liber prædictus Instructionum, et item Decretorum generalium huius Viſitationis in Sacriſtia Monialium ſit perpetuo affixus.

Quæcumque uero uel Monialis, uel Monaſterij etiam præfecta, Confeſſarij item, et cappellani ſacerdotes, et ceteri Monaſterij miniſtri, Superioreſue, etiam regulares, et exempti, et alij quicumque ijs Decretis non paruerint, pro ratione negligentiæ, culpæue a Reuerendiſſimo Epiſcopo pœnis, et cenſuris iam conſtitutis, et alijs arbitrio ſuo plectantur; uel, ſi Monaſterium ipſum exemptum ſit, a Superiori regulari, quod ad Regulares perſonas exemptas attinet; niſi res ſit, quæ ad clauſuram aliquo modo pertineat; quæ tota Epiſcopi curæ, ex Tridentini etiam Concilij auctoritate, committitur.

Si uero Superiores regulares ipſi in hac executione negligentes, uel aliter culpabiles erunt, curæ ſit Reuerendiſſimo Epiſcopo ad Illuſtriſſ. Metropolitanum rem deferre, cui re cognitio executionis huius Viſitationis a ſummo Pontifi-

ce data eſt; ut tum pro munere ſuo, ſibiue commiſſo reme-dium adhibere poßit, tum etiam Sanctißimo D. N. ſignificare, prout opportunum cenſuerit.

Capita uero ſigillatim enumerata hæc ſunt.

DE ECCLESIA, ET CVLTV DIVINO.

DE ſanctißima Euchariſtia in Altari maiori collocanda.

De ſanctarum Reliquiarum feneſtella a parte tantum Eccleſiæ exterioris aperienda, et tribus eius clauibus.

Vt uero ſacrum Oleum pro Sacramento extremæ unctionis, ad uſum Monialium loco diſtincto in Eccleſia in alia feneſtella aſſeruandum a parte exterioris Eccleſiæ tantum accipi poßit.

De loco Organi.

De Cantu figurato, et muſico quouis inſtrumento perpetuo uetito in Eccleſia exteriore, tum etiam cantu Canonicarum horarum, et Officiorum, quæ intus a Monialibus cani poßint.

De muſicis inſtrumentis intus Monialibus uetitis, præter Organum, et inſtrumentum, quod neceſſarium eſt pro diſcenda arte Organi pulſandi.

De concione, adhortationeue ad Moniales cuiuſque Monaſterij habenda, ſaltem bis in menſe.

De diſciplina in diuinis Officijs adhibenda.

De oratione mentali ſaltem per horam quotidie adhibenda.

De ſacra Communione ſemel ſaltem ſingulis menſibus ſumenda;

menda; at uero frequentius ſumi curetur.

De Confeſſario extraordinario ter in anno cuique Monaſterio, ita offerendo, ut uere unaquæque Monialis accedat ad ipſum Confeſſarium; ne aliæ humano pudore, aliaue cauſſa impediantur ab acceſſu.

De lectione ſpirituali in loco laborum communi.

De libris a Monialibus non retinendis, ſine ſcripta probatione Epiſcopi.

De lectione perpetua Regulæ, et Conſtitutionum.

De Capitulo correctionis cauſſa ſingulis hebdomadis habendo.

QVAE PERTINENT AD CLAVSVRAM.

DE nullis omnino feneſtris, foraminibusue e Monaſterio, Eccleſiaue interiori in exteriorem Eccleſiam, Sacriſtiamue ullo prætextu permittendis, excepta Feneſtella ad uſum ſanctæ Euchariſtiæ ſumendæ, et Feneſtra unde aſpiciatur ſanctiſsimum Sacramentum a Sacerdote celebraturo elatum; et feneſtræ Rotæ, unde ueſtes ſacræ exponuntur, quæ omnino in Eccleſia ſit, non autem in Sacriſtiā exteriori.

De una tantum ianua unicuique Monaſterio permittenda, aut altera etiam ad ſummum, ſi neceſſe ſit; et de earum forma.

De duabus clauibus ſingulis ianuis adhibendis.

De numero forma, et menſura rotarum.

De forma, et menſura præſcripta feneſtris quibuſcumque.

De forma clathrorum ferreorum in feneſtra ſupra Altare, et cla-

et clathris, et laminis ferreis in feneſtris locorum colloa cutionum.

De forma loci collocutionum, eiuſque claue.

De forma Foreſteriarum, quæ ſi ampliores ſint, redigãtur omni ſtudio ad anguſtiorem formam ita, ut uix habeant neceſſaria loca, ad præſcriptum Inſtructionum.

De tectis Monaſterij ſeparandis ab omni alio tecto quantum poßit.

De proſpectu omni, unde ultro, citroue Moniales uidere, uel uideri poſſunt, tollendo omni cura.

De hortis amplioribus reſtituendis, ut tollatur neceßitas frequentis hominum ingreſſus pro cultura.

De nulla feneſtra, oſtio, uel foramine aperiendo, etiam in Monaſterijs ſubiectis Regularibus, unde proſpectus eſſe poßit foras, ſine inſpectione, et approbatione Epiſcopi.

De modo obſtruendi feneſtras, oſtia, et caminos.

De tritico, frugibus, et annona non aſſeruandis intra ſepta Monaſterij, niſi ad uſum neceſſarium eiuſdem Monaſterij.

De bobus, equis, iumentis, et catulis intra ſepta non retinendis.

De officio Præfectarum collocutionibus Monialium, quod uere præſtetur, et item Ianitricum.

De non aſſeruandis pecunijs, ueſtibus, gemmis, rebuſue alijs externorum in Monaſterijs. quæ uero nunc aſſeruantur, reſtituantur, emittanturue e ſeptis Monaſterij intra menſem omnino, propoſita pœna conſtituta Decreto prouinciali priuationis officij, et ueli.

De uſu furni intra ſepta Monaſterij, niſi panis etiam foris conficiatur,

conficiatur, quod expedire magis uidetur.

De Medicis extraordinarijs ab Epiſcopo ſcripto approbãdis. quod etiam ſeruetur de famulis, uiris, uel mulieribus, quæ extra Monaſterium inſeruiunt.

De uetitis eleemoſynis erogandis a Monaſterio per rotam, portamue Monaſterij.

De uelanda facie Monialium uſque ad os, cum a Superiore, uel alio ad feneſtram habetur ad illas concio, uel eum, Confeſſoremue, aut Medicum Moniales excipiunt, deducuntue extra ſepta Monaſterij.

De litteris non dandis, neq. recipiendis, antequam legantur a Præfecta, et Vicaria.

De uetito atramentario calamo in priuatis cellis, lociſue.

De muneribus uetitis inter Moniales, et Superiores Monaſteriorum, et clericos quoſcunque regulares, uel ſeculares.

De uetitis muneribus, et donis, uel minimis, licet communi nomine, etiã ad eccleſiaſticum uſum, itemq. opere, uel labore, etiam in ueſtibus purgandis, uel ſarciẽdis ſacerdoti confeſſario, cappellanoue, et alijs miniſtris Monialium curæ conſtitutis; quouis nomine prætextuue id fiat, ſiue ab aliqua Moniali, ſiue a Præfecta ipſa, etiam nomine Monaſterij; pœnaq. ſit ſuſpenſionis a diuinis per trimeſtre ipſo facto incurrenda ſacerdoti, clericoue etiam regulari, qui quidquam contra acceperit, dederitue: Moniali uero carcer trimeſtris, tum alia etiam grauior pœna arbitrio Superioris.

De ſtipendij ratione, ſi quod confeſſario, capellanoue ſacerdoti dandum erit.

De munere Miſſas celebrandi a Cappellanis non ſuſcipiendo ab alia, quam a Præfecta Monaſterij, Sacriſtiæue.

De Miſſæ celebratione uetita cuicumq. ſacerdoti, niſi ſigillatim facultatem ſcriptam eo nomine habeat.
De omni colloquio Cappellani, et Præfectæ Sacriſtiæ uetito, præterquam in rebus ad eorum munus pertinentibus.
De colloquio priuato uetito Concionatoribus.
De uetita omni Miſſæ celebratione intra ſepta Monaſterij, præterquam in conſecratione Monialium.
De Confeſſarij Monialium mutatione ſaltem ſingulis triennijs: cui ne liceat pernoctare in earum Foreſteria, præterquã cum alicui Monialium mors inſtat: at uero neque aliis etiam ſuperior, ibi ullo prætextu pernoctet, neque uero cibum capiat. at Confeſſario regulari licebit aliquando cibum capere, mane præſertim, cum confeßionibus Monialium audiendis incumbit, ſi modo Monaſterium ſuum ita diſtet, ut commode non poßit ibi cibum capere, tum redire ad Monialium Monaſterium. itidẽ in Monaſterijs Diœceſis, ſi in eo loco Confeſſarius non habeat domicilium ullum. pœna uero propoſita ſit ei, qui contrafecerit, ſi confeſſarius, aliuſue ſacerdos ſit, ſuſpenſionis a diuinis, aliaque arbitrio Reuerendißmi Epiſcopi: ſi laicus, interdicti ingreſſu Eccleſiæ; aliaue eiuſdem arbitrio.
De ſocijs Confeſſariorum regularium.
De condicione Cappellanorum ſacerdotum, eorumque electione.
De uetito acceſſu ad Monaſteria docendi cauſſa Moniales artem pulſandi Organum, uel canendi.
De condicionibus puellarum, quibus in Monaſterijs educari poßint.
De illis non introducendis ſine ſcripta facultate Epiſcopi,
præter

præter alia requiſita: deque loco, ac Schola educationis earum.

De legibus earundem, dum in Monaſterijs ſunt.

De ſpeculatione frequenti per certos uiros pios ſuper acceſſu ad Monaſteria.

Ne quis clericus, uel laicus cuiuſcumque generis, aut conditionis, ſexus, uel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi, uel eius Vicarij licẽtia ſcripto exarata ad Monaſteria Monialium, etiam Regularibus ſubiecta, et exempta quouis prætextu, cauſſaue, etiam puellas tantum, quæ ibidem educantur, inuiſendi, alloquendiue, accedat; propoſitis pœnis, et cenſuris, etiam interdicti ingreſſu Eccleſiæ, et excommunicationis in ſubſidium arbitrio Reuerendiſſimi Epiſcopi.

Ne itẽ quis in poſterum audeat intra ſepta Monaſterij Monialium, etiam Regularibus ſubiecti, ingredi ſine eiuſdem Epiſcopi ſcripta facultate. alioquin excommunicationis pœnam ipſo facto ſubeat ad Concilij Tridentini, ac Conſtitutionum Pij Quinti; et ſanctiſsimi D. N. Gregorij Papæ XIII. præſcriptum. a qua abſolui non poſsit, niſi a ſummo Romano Pontifice. Facultatem autem hanc ingreſſus ſolus Epiſcopus, et eo a Diœceſi abſente, eius Vicarius generalis, cui Epiſcopus ſigillatim eam auctoritatem delegarit, et ex cauſsis tantum maxime neceſſarijs, ad præſcriptum Concilij, et prædictarum Conſtitutionum concedat: eaque conceſsio cum cauſſa ſaltem ſummatim in librum Cancellariæ, ſigillatimq. referatur. Nec in poſterum Eccleſiaſticus quis ſecularis, uel regularis, uel laicus, quacumq. is dignitate, præeminentiaue fulgeat, ulli Eccleſiaſtico, etiam Regulari, uel laico facultatem prædi-

ctam accedendi ad Monaſteria, etiam Regularibus ſubiecta, uel alloquendi gratia, ſeu Monaſterij ſepta ingrediendi facultatem faciat, quauis conſuetudine, ſtatuto, lege, ſeu priuilegijs, etiam Sedis Apoſtolicæ auctoritate ante Concilij Tridentini promulgationem roboratis, non obſtantibus, propoſita pœna excommunicationis eo ipſo ſubeunda, et alijs arbitrio Epiſcopi.

Excipitur tamen unuſquiſq. regularis Superior Monaſterij, cui non uetatur acceſſus, nec ingreſſus ex forma prædictarum Conſtitutionum permiſſus: excipitur etiam cuiuſq. Monaſterij Confeſſarius, et Cappellanus, quibus ipſe Superior regularis facultatem ſcriptam dederit; ſi etiam ipſi Regulares ſint eiuſdem Ordinis, delatis tamen eorum nominibus ad regiſtrum Cancellariæ.

Abbatiſſa, Prioriſſa, et aliæ Moniales, etiam Regularibus ſubiectæ, quæ eccleſiaſticos, uel laicos homines quauis cauſſa, prætextuue intra ſepta Monaſterij ſine licentia Epiſcopi in ſcriptis obtenta ingredi permiſerint, excommunicationi ipſo facto ſubiaceant; a qua, niſi per ſummum Pontificem, ad Conſtitutionum ſanctiſsimi D. N. Gregorij Papæ XIII. præſcriptum abſolui non poßint.

Quæ uero Moniales ad loca collocutionum, ſeu rotarum uiſitandi, alloquendiue cauſſa quemquam, marem, uel fæminam, contra, quam ſupra præſcriptum eſt, ſine conceſſu Epiſcopi ſcriptis exhibito admiſerit, priuationis iuris ſuffragij actiui, et paßiui per biennium, tum ſecunda uice ueli, tum deinde etiam excommunicationis pœnam ſubeant ipſo facto. Superior autem regularis, qui permiſerit, conſenſeritue, tum officij, tum ſuffragiorum iuris priuationem

per

per triennium ipſo facto ſubeat, tum alijs pœnis, et cenſuris Reuerendiſsimi Epiſcopi, uel ſanctæ Sedis Apoſtolicæ arbitratu afficiatur.

Facultates autem ſcriptæ, quas quiſque exhibuerit, uel accedendi ad Monaſteria, uel ea ingrediēdi, Præfecta Monaſterij aſſeruet, et Epiſcopo clauſuram uiſitanti, et aliàs, quoties poſtularit, exhibeat; ut eas cum libro ſuo, regiſtro nuncupato, conferre poſsit.

Decretum hoc uniuerſum, et ſingulas eius partes, quo magis omnibus, quorum intereſt, innoteſcat, Reuerendiſsimus Epiſcopus communi lingua tranſlatum, tum unicuique Monaſterio Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, eiuſue Præfectæ edici, denunciariue mandet, tum populo promulget ſemel intra quindecim dies, deinde frequenter per annum, prout opus eſſe cenſuerit.

Nemini uero deſcribendi frumenti cauſſa intra Monaſterij ſepta ingrediendi facultas detur; ſed ſatis ſit, quod Superior eccleſiaſticus, Confeſſario, et aliquo ex Præfectis annonæ præſentibus, a Monialibus ex crate de illius quantitate iuſiurandum ſuſcipiat.

Monialibus uero licet Conuerſis, et ex Monaſterijs etiam Regularium curæ ſubiectis, et aliàs quomodolibet a Reuerendiſsimi Ordinarij iure exemptis, ne liceat extra clauſuram quouis prætextu, etiam eleemoſynæ queritandæ cauſſa, deinceps exire. alioqui, tum ipſæ, tum Superiores, etiam regulares, pœnas, et cenſuras a ſacrorum Canonum iure, et Tridentino Concilio ſtatutas ſubeant: ſed ex ſummorum Pontificum, præſertim Pij Quinti, et ſanctiſsimi D. N. Gregorij XIII. Conſtitutionibus ſibi de eleemo-

ſynis

ſynis prouideri curetur. ſi quæ tamen Monaſteria ſunt, quorum Monialibus ante Viſitationis huius initium iam legitime permiſſum erat, quod earum Conuerſæ eleemoſynæ cauſſa exirent, eaque tanta premantur inopia, ut eorum Moniales Epiſcopus cẽſeat nulla alia ratione poſſe neceſſarium ſibi uictum comparare, quam, ut ipſorum Conuerſæ ad eas quæritandas egrediantur; tum Epiſcopus iis Monaſterijs permittere poterit, ut aliquæ tantum ex Conuerſis ea de cauſſa exeant, ſingulis tamen condicionibus diligenter ſeruatis, quæ olim hac in re a Congregatione Illuſtriſſimorum Cardinalium præſcriptæ fuerunt. Veruntamen pro executione Decreti a ſacra eorundem Illuſtriſſimorum Cardinalium Congregatione hoc in genere nouiſſime conditi, ut tandẽ huiuſmodi offenſioni, incommodoq. finis præſcribatur, dum, ſcilicet uirgines Deo ſacratæ paſſim per uicos, fora, plateas, et triuia non ſine ſui ordinis, ſtatuſue indignitate uagantes, et uidere, et uideri licet, præter alia incommoda, et pericula ualde formidoloſa; ideo Apoſtolicæ Viſitationis, et Illuſtriſſimorum etiam Cardinalium Congregationis auctoritate decernitur;

Ne in iis Monaſterijs, quibus hæc permiſſio fit, aut in poſterum fiet, ulli amplius monachalem ueſtitum ſuſcipere, aut in Monialium numerum recipi, admittiue liceat; ſed, paullatim deficientibus Monialibus, quæ nunc ſunt, ipſa Monaſteria penitus exſtinguantur. Si quæ uero Moniales aliquam, contra quam præſcriptum eſt, admiſerint, receperintue, aut ad hoc aſſenſum præbuerint, ipſo facto amotæ ſint ab omni officio; ac præterea iure ſuffragij, ita, ut neque eligere, neque eligi poſſint, per decẽ annos careant.

Superior

Superior inſuper ipſe, qui conſenſerit, illamue induerit, quicumque ille ſit, a diuinis ſuſpenſus ſit, arbitratu Reuerendißimi Epiſcopi: etſi Regularis fuerit, ius item ſuffragij, ut ſupra, in ſuo Ordine ad decennium ei ademptum ſit; tum præterea receptio ipſa, admißioue irrita ſit omnino, ac nulla.

Si quam tamen ampliorem facultatem hac de re, ſcilicet egreſſu Conuerſarum e clauſura cauſſa eleemoſynæ Epiſcopus a ſanctißimo D. N. habet, ea libere uti poßit, hoc Decreto nihil obſtante.

Admonet uero Illuſtriß. D. Viſitator Moniales quaſcumque, quibus in poſterum quauis facultate, permißioneue de ſeptis exire contigerit, cum ea neceſſariæ eleemoſinæ cauſſa tantummodo detur, ne propter alias cauſſas, officiaue abutantur; ſcilicet, ne ad nundinas, emporia, meſſem, ad lauandam, purgandamue Monaſterij ſupellectilem exeant, nec ad ulla obſequia, ſeruitiaue in Diuerſorio, ſeu foreſteria obeunda, aut ad Eccleſiam exteriorem, eiuſue Altaria apparanda, ornandaque, neque tandem ad ulla alia negotia; ſed in ſolo queritandæ eleemoſynæ munere, cuius cauſſa facultas ineundi conceſſa eſt, perſiſtāt. Alioquin nouerint et ipſas e Monaſterij ſeptis exeuntes, et Superiores permittentes pœnas incurrere ijſdem pontificijs Conſtitutionibus, et Tridentino Concilio decretas.

Ubi aliquo Decreto particulari huius Viſitationis ad clauſuram quouiſmodo pertinenti, ut eſt aptatio rotarum, uel clathrorum, uel feneſtrarum, uel portarum, uel earum obſtructio, aut foraminum, aut murorum clauſtio, et huiuſmodi, præfixum eſt temporis ſpatium, quo illud præſtari

debeat,

debeat, ſi Superior Monaſterij non præſtiterit, certo temporis ſpatio illi conſtituto, Eccleſia interdicta ſit. poſsit tamen Reuerendiſsimus Epiſcopus dictum temporis ſpatium conficiendum prorogare; non tamen ultra tantundem tempus.

Reuerendiſsimus Epiſcopus in omnibus Monaſterijs, etiam ſibi non ſubiectis, Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium ſingulis annis uiſitet, ac diligenter perquirat de eorum, quæ ad ipſius cuſtodiam quouis modo pertinent, obſeruatione: etiam examinãdo ſingulas Moniales, ut opus eſſe cenſuerit: efficiatque, ut illa reſtituatur, et conſeruetur ad Concilij Tridentini, et prouincialium Synodorum, atque Decretorum huius Viſitationis præſcriptum.

DE VITA COMMVNI, & reliquo regimine.

De communi Infirmaria conſtruenda, quod fiat quamprimum, in qua cubent omnino Moniales ægrotantes; nec uero aliæ, niſi quæ inſeruiunt pro munere ſuo. ægrotæ autem ſæpe uiſitentur etiam a Præfecta Monaſterij.

De reſtituendo uſu antiquo communium locorum dormitionis; quantum poſsit.

De uetita omnino cubatione duarum in eodem lectulo, cellaue, ſi modo aliter poſsint.

De priuatis cellis, et arcis ſemper apertis die, noctuque; et uiſitatione quotidiana cellarum a Præfecta, uel Vicaria poſt clauſum locum dormitionis.

De communi ueſtiario omnino inſtituendo, et in uſum inducendo

duendo uere, ac ſerio, ſublatis omnibus ex priuatis cellis, locisue, et capſis, quæ eo ipſo tempore neceſſaria non ſunt.

De frequenti viſitatione cellarum per annum ob eam cauſ=ſam.

De uitæ communione uera, etiam in cibo capiendo, et communi Refectorio.

Itidem de communi loco pro operibus elaborandis, extra quem nemini Moniali, præter ianitrices, liceat quidquam ma=nibus elaborare.

De Præfecta laborum, et operum, eiusque officio; in quo nulli Moniali liceat ſeſe ingerere, ſuſcipiendo, uel traden=do, quæ elaboranda, uel elaborata ſunt.

De uacatione Monialium ab officijs.

De pœna proprietatis infligenda, ſi qua Monialis uel mini=mum quid nummorum apud ſe quouis nomine habuerit; etiam de conſenſu Præfectæ; et de capſa communi pro pe=cunijs in ſingulis Monaſterijs conſtituenda cum duabus clauibus, tribuſue.

De reliqua uera reſtitutione uitæ communis in omnibus; etſi quæ ab agnatis donantur, uel perſoluuntur libelli, lega=tiue nomine.

De regulis præſcribendis Curatoribus Monaſteriorum a Re=uerendiſſimo Epiſcopo; qui conſtituat eiuſmodi Curatores ſingulis Monaſterijs, etiam qua Regularium curæ, et re=gimini commiſſa ſunt; ideoque Moniales cuiuſque Mo=naſterij ad menſem, ut primum admonitæ fuerint, ſex, quattuorue probos, ac prudentes uiros Reuerendiſſimo Epi=ſcopo proponant; e quibus tres, aut duos, qui ſibi magis ido=nei uidebuntur, ille ſeligat, quorum conſilio, interuentu, ac

opera reditus, ac temporalia omnia Monaſterij admini=ſtrentur: quos ſi illæ intra menſem a die, quo ab Ordinario monitæ fuerint, proponere neglexerint; nihilominus Epi=ſcopus duos, treſue, quos idoneos ei muneri cenſuerit, præfi=cere non omittat; qui omnes, et ſinguli eiuſdem Epiſcopi arbitratu a muneris illius cura ſemper amoueri poßint, et in eorum locum alios ab eode m ſubrogari, ſeruata eadem ratione.

De præſcribendo ſumptu anniuerſarij uictus a Superiore.

De ære alieno non contrahendo a Monialibus ſine conſenſu Curatorum.

De prædijs locandis, ſub haſta auctione facta.

De cautione facta idonea Procuratorum cuiuſq. Monaſterij.

De contractibus uetitis ſine interuentu Superioris.

De prohibita omni ædificatione ſine conſenſu Curatorum, et

De probatione Superioris.

De rationibus impenſarum recognoſcendis.

De Inuentario bonorum, et iurium cuiuſque Monaſterij, etiam Regularibus ſubiecti, tradendo Reuerendißimo Epi=ſcopo; quod preſtetur intra menſes ſex. alioqui, donec ſa=tisfactum erit, nulla Monialis ad habitum, profeßionemue admitti poßit in eo Monaſterio.

Cauſſas omnes, quæ legatorum, dotium, ſeu potius eleemo=ſynarum nomine ad Monaſteria ſanctimonialium, etiam non ſubiecta, ſpectant, et pertinent, Ordinarius ſummarie, ac de plano, et ſola facti ueritate inſpecta, huius etiam De-creti auctoritate, terminet, atque finiat: et debitores con=tumaces cenſuris etiam eccleſiaſticis compellat, ac Sacra=mentorum perceptionem prohibeat: cui pœnæ tamdiu ſu=

biaceant,

biaceant, quamdiu legata, dotes, ſeu eleemoſynas, aliaue, quæ debent Monaſterijs, eorumque Monialibus, integre ſatisfecerint.

De ſuffragijs, ijſque occulte ferendis in quacumque receptione puellarum, ſiue ad Capitulum, ſiue ad habitum, ſiue ad profeſsionem.

De multiplici examine tum puellarum, tum nouitiarum.

De ritu in puellis moniali ueſtitu induendis; et nouitijs ad profeſsionem admittendis.

De pompa, et conuiuijs, tumultuque omni cauendo in tradendo ueſtitu Monialium alicui puellæ.

De duabus ſororibus, uel pluribus ex eadem familia ad Religionem recipiendis.

De libro profeſsionum.

LAVS DEO.

FINIS.

MEDIOLANI.

Apud Michaelem Tinum. 1582.

dinando, quando diu legata, dotes, ſororum veſtes, aliaue, quae debentur Monaſterijs, eorumque Adminiſtris, integre perſoluerint.
De iuſtitiis, ijſque occulte ſeruandis in quacumque receptione puellarum, ſiue ad Capitulum, ſiue ad habitum, ſiue ad profeſſionem.
De examine, tum puellarum, tum nouitiarum.
De ritu in puellis monaſterij habitu induendis; et nouitijs ad profeſſionem admittendis.
De pompa, et conuiuijs, tumultuque omni cauendo in tradendo veſtitu Monialium alicui puellae.
De duabus ſororibus, vel pluribus ex eadem familia ad Religionem recipiendis.
De libro profeſſionum.

LAVS DEO.

FINIS.

MEDIOLANI.

Apud Michaelem Tinum. 1582.